ANNALIUM ALMAE ACADEMIÆ CRACOVIENS.
CENTURIA PRIMA
auctore M. Martino Radymiński Coll. Maj. Prof. S. Sedis Aplicae D. N. Pronotario.

* Casimirus II. Poloniae rex secundo omine inter magna orbis universi
nomina, uno omnium gentium et populorum ore ac judicio, non va-
na quorundam adulantium aut metu extorta voce, nec ementita
virtutum specie, quae velut scilla nu in mari Aegeo evanescit
solus ex Poloniae principibus insertus solius ardentissimi amoris
in patriam nomine, grande et invidendum in multis elogium mihi
promeritus esse videtur. Etsi enim factis magni nomen ad amussim
exaequabat, charitate tamen omnes reges, quos unquam tellus
Polona tulit et zelo singulari erga Parentem suum praecellebat.
Nam licet vicinos principes justitiae et aequitatis libra, Barbaras
vero gentes, quibus fines mene undique (undecunque) circumfusi sunt
terrore intra limites quemque (?) suos contineret altaeque bonis pa-
cis frueretur; nihilo tamen minus, ut Aetna fervens nec quietem nec
terminum amoris capiebat. Eo enim studio in eam ferebatur, ut in ipsa
ornanda, sive ejus deserto et inculto solo, vicis, pagis, coloniis reple-
ret, sive civitates moenibus, cives legibus firmaret, populisque jura
daret, sive Musas et studia, quae Deus admirabili et arcano suo consilio
cum imperiis transfert in Poloniam tanquam ad sedes proprias tradu-
ceret nunquam tamen sibi suae propensissimae ac benevolentissimae
voluntati faciebat satis. Quidquid opum, honorum, provinciarum
illa addixisset, plus adhuc sibi conferendum superesse existimabat, donec
florentibus tunc in Europa regnis regnum suum auctum, aequale
vel saltem non inferius conspiceret. Quo sane factum est, ut Le-
chia, quae olim sub Lekko infans et tenebris et pulvere caput primum
extulit et lucem aspexit, quaeque sub Mieczlao singulari Dei be-
nignitate lumine fidei illustrata adolevit sub Boleslais Chabro,
Crivousto, Audace, aquilas suas longe lateque circumtulit sub
Casimiro Magno nonnisi famam adepta per ora hominum
volitare, seseque ipsa tanquam altera mater deum Cybele centum
turritas (?) per urbes circumspicere coepit. Cum regnum omne,
quod literis caret apud cultiores populos et gentes tanquam barba-
rum nullam claritatem habeat, nec in numerum humaniorum
Politiarum veniat jam vero tunc ex campestri et sylvestri urbana,
ex sagata togata, bellacique mente mansueta, Musis amicissima

audiit (?) Polonia.* Secutus est in hac nominis sui augusti amplitudine pro-
paganda Casimirus noster eos principes, qui maiorem laudem esse
deputarunt ex conditis potius quam eversis urbibus et provinciis
nomen magnum consequi, legibus potius quam gladio inclarescere,
et literarum magis quam armorum splendore in oculis omnium
lucere. Quibus in rebus plerisque eiusdem cognominis regibus
palmam Casimirus praeripuit. Nam illi aut singulas aut pau-
cas condiderunt, non pauci, suppressis antiquis, de suo nomine
fundatas civitates, nominare praeceperunt, ipse vero ut nemini
injurius, ita plurimarum in regno suo civitatum conditor ex-
stitit liberalissimus. Illi duo amplissima ad Cracoviam sua fun-
damenta et jura civitatum debent suburbia, alterum ultra Stra-
dam circa vetustissimum D. Michaëlis fanum nunc D. Stani-
slai Martyris nobilitatum, quod amplissimis muris cinxit
et de suo nomine Casimiriam nuncupavit, alterum circa
basilicam Casimiri 1mi D. Floriano Martyri sacratam, cui no-
men a D. Tutelare qui eo loci delatus substitit Florentiam nomi-
nari voluit nunc vulgus rude Clepardiam dicit. Ab eius munifi-
centissima manu Velicia, Scawinia, Landskorona, Fleusium,
Bendzinum, Lelowia, Crepicium, Vislicia, Szydlowia, Radomia,
Opocnum, Vauelnicia, Lublinum, Sieciechovia, Solecia, Za-
wichostum, Nova Civitas, Calissium, Pysdry, Stanisinum, Naclum,
Velunum, Miedzyrzecum, Ostraszovia, Crusvicium, Zlotorya,
Przetecum, Bidgostia, Petricovia, Brzesnicia, Lancicia, Juniwla-
dislavia, Plocia, Leopolis, Praemyslia, Sanocum, Crosna, Luba-
czovia, Trebovla, Halicum civitates aut fundatae, aut ex
ruderibus exstructae, aut muris validissimis ornatae, aut do-
mibus et palatiis auctae, vitam et splendorem acceperunt.
Ad eundem robur porro et regni tutamentum refertur arces
munitissimae Landskronensis, lelowiensis, czorstinensis, niepo-
lomicensis, ojoviensis, crepicensis, sendomiriensis, vislicensis

rabstinensis, lublinensis, solecensis, koninensis, medyrecensis,
ostreszoviensis, boleslaviensis, siradiensis, bresnicensis, lancici-
ensis, plocensis, leopoliensis, praemisliensis, sanocensis, costen-
sis, omnes latere cocto aut lapide quadrato ab eodem sunt
constructae, et quod primo loco ponendum erat ad cultum
divinum et honorem divorum aedes sacrae plurimae ab
ipso sumptu immenso, arte mirabili per universam Poloni-
am sunt fabricatae Deoque consecratae. Inter quas notabili-
ores D. Michaeli, Coelestis, (X). et D. Georgio terrenae militiae
principibus in arce cracoviensi, Dei Matri Virgini Sendomi-
riae et Visliciae, D. Sigismundo Rociae basilicae; Ecclesiae
item D. Catharinae, Casimiriensis, Sydloviensis, Solecensis, Co-
prinicensis, Petricoviensis, Patrum Praedicatorum Lancicien-
sis, Neocorcinensis, quae etiam ex quadrato lapide sculpturis arti-
ficiosissimis exornatae autoris fundatoris dotationis sui munificen-
tiam plane regiam loquuntur, ut et Collegium Academicum Casimi-
riae sub muro versus orientem in loco plano et spatioso ad mille
et amplius passus in omnes partes se protendens extructum,
domusque pulcherrimas multorum incolarum capaces, lectoria
item et primas literarum officinas pro cohabitatione docto-
rum et studentium opera non vulgari aedificatas continens,
ubi nunc recutita gens suam civitatem satis amplam habet,
nec vestigium ullum praeter memoriam apud Historicos Dlu-
gossium et manuscripta quaedam, quae inspexi, retinet eo loci
Academus. Sed nec illud est minus, imo longe luculentius Casi-
mirianae in patriam caritatis argumentum, leges nimi-
rum, quibus per Sarmatiam judicia exercentur et populis
jura dantur, ab eo conditae et conscriptae. Quid enim sunt
opulentissima et frequentissima regna sine justitia? nisi,
ut inquit augusto ore Augustinus, magna latrocinia. Cau-
sae autem et lites retroactis saeculis in regno hoc amplis-
simo, arbitrio potius bonorum virorum, stylo rudi et con-

nb.

suetudinibus, quam certa justitiae forma terminabantur, quae cum hominum vitio facile a veritate deerrarent. Ad tollendam omnem in judiciis, quae ex affectibus odii vel amoris oriri poterat pravitatem, ut aequa et eadem esset omnibus sancta justitia, certa statuta codice legum comprehensa descripsit, quibus tantum beneficium universo populo praestitum est, quantum aut gratia divina in genus mortalium potuit conferre, aut quantum mens humana a supremi principis clementia potuit exoptare. Eorum enim viridi observantia pax hactenus extorris inter subditos est restituta et injuriae omnes, quae gliscebant, sublatae, ac ut ipse rex, bonorum tutor et defensor, malorum vero vindex et ultor, semper extitit severissimus, ita ab eo omnes constituti judices ex praescripto legum suarum quoscunque obnoxios alicujus culpae repererunt, vel mores mutare, vel solum vertere cogebant, ut brevi temporis spatio dives pauperi, dominus subdito gravis esse dedisceret, et omnes aequaliter justitiae tramiti insisterent. Proscripta furta, latrocinia, calumniae vis et malevolentia exulabant regno, et ~~cum~~ ea quo oppositae virtutes inter homines ~~ver~~ conversabantur, ut illud vatis sacri dictum temporibus istis accomodari posset, quo virtus de terra esse, et Justitia de coelo prospexisse dicebatur.

* Sola ad complementum felicitatis Poloniae desiderabatur Philosophia (Phia) neglecta potius non invitatae Palladis, quam quod inhonestabiles aut incapaces illius essent Poloni, quorum ea est indoles, ut omnes formas facile induere et labore continuo ad arcana scientiarum penetrare, modo velint, possint. Tum autem Plato beatas fore respublicas depraedicabat, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. Intentatum igitur aliis regibus opus, ut erat ipse sapientissimus aggreditur Casimirus ad mansuefaciendam et illustrandam Sarmatiam Musas cum Apolline et altricem omnium virtutum philosophiam divinarum scilicet et humanarum rerum sapientiam ex Helicone gallico, cum sponte sua, tum multis aliis permotus

rationibus in regnum suum invitavit et traduxit. Nam praeter
ingentia bona, quae ex literis proveniunt, et quibus ornatissi-
mam patriam volebat, summa etiam earundem suis subditis ne-
cessitas incumbebat. Nullus siquidem ex Polonis, ut tum vigebat
ecclesiastica disciplina, ad pontificium aut insignius aliud sa-
cerdotium per summos Ecclesiae pastores promovebatur, nisi,
qui doctoratus insigniis prius in aliqua academia ornatus fu-
isset, cuiusmodi titulos Candidati Sarmatae alieno sub sole
quaerere magno aetatis, vitae, fortunarumque suarum dis-
impendio debebant; neminem enim legum pandectarum aut
theologiae arcana, aut physicae secreta scientem juvabant,
nisi se ad istarum scientiarum doctorem et professores pro
testimonio obtinendo contulisset. Ante omnia movebat opti-
mum principem indignitas, quam conceperat ex nonnullo-
rum Ordinum Regulis, quarum autores Coenobiarchae, pa-
rum aequi genti ~~suae~~ nostrae, professos monachos anathema-
te inhibebant, ne alibi aut operam theologiae quam in
Gallia darent, aut gradus literarios praeterquam in Parisi-
na Academia susciperent. Fontem igitur scientiarum conate ?
Studium Cracoviae excitare decrevit, ne suae gentis homines
alienos sectari magna cum jactura aetatis et vitae necesse
haberent. *

* Addebat animum regi Jaroslaus Skotnicki Bogoria
tunc Archidiaconus Cracoviensis et post etiam Archiepi-
scopus Gnesnensis, qui, cum in studio Bononiae rector fuisset,
ob necem Anglici cujusdam studiosi Bononia generale stu-
dium alio transtulit, nec prius sedibus antiquis restituit, quam
violatores immunitatum Academiae paenas exsolvissent et Bono-
nienses majora privilegia studentibus concessissent. Inchoan-
di autem in totam posteritatem gloriosissimi hujus operis
ad manus illapsam Rex non dimisit occasionem. Cum enim
Cruciferi ab injuriis sibi inferendis non cessarent nec sen-
tentiae arbitrorum Caroli et Joannis ~~Hungariae~~ Bohemiae (sic) re-
gum acquiescerent ex S. C. Polono questum apud Sedem

Apostolicam ire oportuit. De legatis cum multa et perplexa quaestio agitaretur unus omnium consensu tanto par oneri Joannes Grotus, episcopus cracoviensis, ob singularem prudentiam et in Curia Romana experientiam est judicatus. Non denegavit patriae suam operam Joannes ea spe illectus, quod per suam praesentiam apud Summum Pontificem a Zula, archiepiscopo cracoviensi amissum, ab aliis successoribus neglectum metropolitanum honorem esset recuperaturus. Qui cum in viam se daret, a Rege in mandatis accepit, ut post-

1338

quam feliciter negotium regni perfecisset, institutum Academiarum Gallicanarum Parisiis, et simul aliquot professores legum et philosophiae secum in reditu adduceret, impensis in itinera subministratis et adjecta regio nomine quicunque in Poloniam venissent regali professoribus remuneratione.**

** Reversus Avenione episcopus, usum pallii ecclesiae cracoviensis praesulibus, non metropolitanam, quod ea jam ante alio translata fuisset dignitatem retulit. Tum vero cum judicibus commissariis, qui a Benedicto XII. ad cognoscendam et definiendam inter Regem Poloniae et Cruciferos causam submissi erant tres in jure utroque et philosophia praesentavit professores, quos Rex summo amore complexus, omnes Curatoribus, qui eorum necessitatibus in omnibus providerent regieque eosdem haberent commendavit.**

** Post duo ferme lustra, magnos industriae, fidei, laboris docentium professorum cum proventu literatorum Rex colligens fructus, ut eos propitios faceret Polonis et redderet ad religionis Christianae amplitudinem et gentis suae emolumentum, convocatis regni praesulibus et principibus dictos professores legum, relicto Philosopho ad sedes Virgineas in schola amplissima, Casimiriam in aedes amplissimas recen-

recenter a se exstructas transfert, easque tenendas, praesidendas pro- ?
fessoribus et studiosae juventuti tradit et committit, locum Aca-
demiam dici mandat, lectores eorumque adscriptitios plena li-
bertate frui jubet. Omnes eos, qui studiorum suorum et probi-
tatis sibi egregia specimina darent, sperarenturque posse
rempublicam in partibus sibi concredendis juvare ac rite
gubernare, dignitatibus ac honoribus literariis cumulari
praecipit.** Cancellarium Regni Academiae Bulogrammateum (?)
et examinis promovendorum praesidem constituit.

* Grata fuit incolis Poloniae ad armorum splendorem literarum di-
gnitatem conjungere cupientibus novae Academiae ad urbem institu-
tio, ad quam adulta etiam aetate scientiarum gratia veniebant
viri et se in disciplinam primis illis praeceptoribus libenter
committebant, praesertim sacris destinati, qui quod molestis-
sima peregrinatione in exteras nationes pro testimonio
in decretorum studio essent liberati; ingentes Deo et Principi
gratias agebant. Doctores autem suscepti liberali ex fisco regio
pensionum provisione gravissimo oneri propter Dei et pro-
ximi amorem subjectis lacertis ea vitae ex evangelica ?
Christi doctrina institutae literarumque dabant praecepta,
ut ab omnibus non scholae tantum, sed etiam vitae, non
eruditionis sed et virtutis agnoscerentur satores.* Erant
enim ea aetate hominum plerique plane sub jugum
missi vitiorum, per populos et regna late serpebant
haereses, schismata, et his congermana scelera, dignumque
fuit saeculum edicente Brigitta Suecca vidua sanctissima, ?
quod ignibus vel undis suffocaretur, ni pietas infinita clemen-
tissimi Redemptoris poenitentis mundi conversionem expe-
ctaret. Jura itaque divina et humana, quibus homines
servarentur, philosophiam, quae inordinatis eorum commo-
tionibus affectuum fraena injiceret, quam diligentissime
poterant Sarmatiae discipulis magistri Galli tendebant, per-
multum anxii, quod pacem et quietem Musis amicam mini-
me in regno offendissent.

1345. Daniel quippe Ostrogiensis et Dasco Premisliensis duces facti Polonis rebelles Chamum (sic) Tatarorum concitarunt[3] in Poloniam[2] eo praetextu, quod tributum seu honorarium ex Russiae provinciis Scythicae genti gratia servitus bellici dari solitum in thesaurum Casimiri inferretur alio diverti pecuniam, et se ejus gratia ab illa colluvie vexari aegre ferentes una cum eadem conjunctis armis in regni provincias intensiores ruebant. Eam tempestatem, prae virium inaequalitate finibus suis amovere Poloni non valentes, Vistulae transitu hostes prohibere satis pro interim habuerunt vindictam in aliud tempus differentes.

1346. Idem furor Martis ad moenia Cracoviae sequenti anno exarsit a Joanne, rege Bohemiae, ob Zeganensem in Silesia terram, quasi sua esset, nuper per Polonos vastatam, succensus, qui cum numeroso exercitu praetergressus populabundus fines, satis se felicem moriturum depraedicabat, quod propugnacula urbis, quae videre non poterat, manibus palparet, a quibus fortiter rejectus, dum sine ordine domum remeat, ex insidiis a Polonis positis turpiter fusus, fugatusque est.

1347. Utramque regni sui invasionem Rex injustitiae, quae tum per fora Poloniae vitio judicum ex arbitrio et juxta consuetudines non omnino laudandas judicantium dominabat et propter quam regna de gente in gentem transferrentur adscribens, ut aequam Themidem coelo deduceret, leges justissimas, vocatis in partem laboris Jaroslao gnesnensi, Joanne cracoviensi, Alberto posnaniensi, Mathia vladislaviensi, nec non ex studio cracoviensi legum divinarum et humanarum doctoribus, condidit et servari mandavit, ad quas verbis planis et simplicibus concinnandas, ne ulli interpretationi aut cavillationi esset locus, id operae praestiterunt Regi professores academici, quod olim J. C. Trebonianus Justiniano imperatori, institutionum juris civilis conditori.

Groti, episcopo cracoviensi fatis absumpto Petrus de Falcow succedit et anno sequenti moritur.

Quibus diebus plebs Cracoviae pro institutione SS. Eucharistiae
Christo Deo per octavarum solennes ducebat pompas, duo sacrilegi
sub tempus nemine advertente ex aede SS. Omnium ?
dives et opulentum simul cum coelesti manna auferunt ?
ferculum corporis Dominici et Casimiriam ad vestigia quon-
dam villae Bawol ut locum hominibus infrequentem ?
deferunt et furtum clam ablatum in lucem proferunt.
Theca vero deaurata aes non aurum lavernionibus redden- ?
te et sacram famam illorum eludente, ne aliquo indicio
proderentur, pixidem illam, una cum SS. Sacramento
in lacum coenosum abjiciunt lutoque obruunt. Sed non
diu latuit sacrilegium. Panem, qui de coelo descendit, circum-
fulgebant lumina coelitus accensa, quorum causa laten-
te Joannes Groth, antistes cracoviensis, indicto triduano
jejunio et supplicationibus Ecclesiae, ad lacum supplex
descendit, venerandum Christi corpus sub specie panis
theca inclusum in coeno latens reperit, levat et in tem-
plo, unde ablatum fuerat, cum gaudio reponit. Insignis
miraculi memoriam Casimirus ad se pertinere ratus, votum
exstruendae basilicae in honorem SS. Sacramenti conci-
pit, loco inventionis circumscripto, palos, sarmenta, caete-
raque, quo firmiriora jaci possent surgentis molis in loco
uliginoso et palude foetente fundamenta, agglomerat,
primumque lapidem jacit. Impediebatur tamen multis,
ne coeptum opus perficeret, et ipsius loci iniquitate et
publica calamitate, ut nonnisi diebus D. Jagellonis Ec-
clesia, quae nunc inter Casimirienses primatum tenet Regis
et plebis collectis absolutionem et ultimam manum ac-
ceperit.

1348.

Nam lues epidimiae, quae non contactu vel halitu
sed aspectu infectorum sanos perimebat, per Poloniam, Hun-
gariam, Bohemiam, Germaniam, adeo homines disperserat,
ut alter alterius non auxilium implorare, sed ne obtutum
quidem ferre vellet.

Petro Falcovio Avenioni intempestiva morte sublato

Bodzanta comes itineris, decanus cracoviensis, per Clementem VI in episcopum cracoviensem est consecratus.

1349. Bello quoque, quod perfidia ducum exciverat in Russiam illato, licet vires eorum potentia armorum fractae fuissent, ultroque sibi Luceorienses, Vladimirienses, Brestenses in obsequium venissent, victor tamen sive natura belli et insolentia victoriae, sive fortuna sua victus, relegata pudicissima in arcem Zarnoviensem consorte, illicitae Veneri Opocini et Cressoviae servivit. Pie de offensa Dei et poena imminente monentem episcopum Bodzantam tantum abest, ut audiret, ut ejus nomine adscriptitios suae ecclesiae homines affligeret.

Bodzanta potestate clavium regem sacris amovet, at nec sic mitiorem et sibi placatiorem, imo ferociorem reddit. Nam Martinum Baricasum (Baryczka), episcopi vicarium literas excommunicationis pontificiae sibi deferentem in profluentem Istulam detrudi mandat vel dissimulat.

1350. Jaroslaus gnesnensis antistes coacta synodo Calisii, inquirens modos quibus regem, eo prolapsum temeritatis, ad saniorem mentem revocaret et a saevioribus prohiberet, praeventus est divinitus in castigando regno. Saepe enim populus luit poenas, quas principum furores merentur, quod Ethnicos ipsos non latuit. Hos enim Hesiodi versus citat Aeschines

Unius ob culpam saepe urbs dabit integra poenas
Justitiam spretis, qui violat legibus: inde
Supplicium iratus de tota Jupiter urbe
Sumit et immittit miseris pestemque, famemque.
Strata jacent varia morientia corpora clade
Aut cecidit fugiens victorem exercitus hostem
Avulsique solo merguntur in aequore muri
Fluctibus aut mediis poenas dabit obruta puppis.

1351. Excitato enim haereditario hoste Lituano, ultus est Deus et violatam fidem Hedwigi et necem innocentis Baricasi. Jagello enim cum fratribus Lituaniae ducibus, ingentibus collectis copiis, vastata omni ultra Istulam regione, Russiae munitiora Leopolim, Brestiam, Belzum, Vlodimiriam occuparunt, sine ulla sua clade victorias et spolia ampla referebant ope proditorum, quorum duo erant diversarum familiarum praecipui, quos hic nominare non est necesse, cum singularium hominum crimina aliis nocere non debeant,

ejusdem gentis filiis. Eorum unus universum exercitum trans
Istulam, invento vado ad Zawichostam, positis in alveo ad
indicia bacillis, transdeportaturum se spoponderat, quos
extremam cladem patriae, bono genio avertente, piscatores,
rerum ignari, invenientes, in voragines transferunt. Dum
igitur proditor cum cohortibus flumen vadare jubetur, et
cum comitibus fluctibus absorbetur, Lituani alteri prodito-
rum in littore caput demetunt et intacto (sic) Vistula
onusti praeda domum redeunt.

Rex tot hominum et provinciarum clade afficitur 1352.
in se descendit, culpam agnoscit, serioque commissorum
poenitet, ac ut sacris quamprimum restitueretur Albri-?
cum, cancellarium suum ad summum Pontificem Clemen-
tem V transmittit. Absolvit papa omni noxa confiten-
tem reum, cum jam ipse de se supplicium ciliciis, jejuni-
is, redhibitione ablatorum, multarum aedificatione et ?
fundatione ecclesiarum sumpsisset. Clementissimus quoque
Deus benigno respexit Poloniam oculo, quam, cum fa-
me castigare demissis in adultas segetes nivibus decrevisset, 1353.
tenta solis calore iisdem liquefactis et impinguata gleba uberri-
mam messem agricolis expectantibus (exspeb.) concessit. Sed et
Masoviae dux Semovitus, qui se a corpore regni Poloniae ul- 1354.
tro separaverat ad regem tunc, ut caput unius corporis Rei-
publicae Polonae rediit, publico testimonio fassus, se jure
beneficiario Poloniae principem esse Masoviae.

Rex curae regni intendens, cum ipse sine prole mascula 1355.
esset, ne regnum post sua fata direptioni pateret, diadema de-
ferendum Ludovico Hungariae regi, sororio suo, censuit, modo
ne ullis novis tributis Polonos gravaret, libertates ordinum
illibatas servaret, suis sumptibus ab omnibus hostibus rem-
publicam defenderet, et in ea praesens maneret.

Ne vero a litigantibus provocationes, qui eo jure ute- 1356.
rentur Magdeburgum fierent, supremum hujus juris tri-
bunal in arce cracoviensi apud summum Arcis Cracovien-
sis Procuratorem instituit, actorum juridicorum notarios in
civitatibus nonnisi ex scholaribus assumendos prae-

cepit. Hinc per universam Poloniam tam in castrensibus, quam in ci-
vilibus judiciis acta juxta ecclesiae catholicae ritum per do-
minicas et festa solemniora notantur, quod primi Grammataei,
Cantores, et Scholares fuerint [illegible].

Sub haec matrimonii vinculo per mortem conjugis solutus,
ad eas, quae vetitae sunt illecebras fertur declinasse. Amor ple-
rumque ad ea flagitia compellit, quae aut turpia sunt, aut di-
gnitatem diminuunt. L. Vitellius, alioqui vir innocens amore libertinae
scribitur insanivisse. Casimirus certe in gratiam Hester cuiusdam
ex qua duos pater tulit filios memoratur Recutitam gentem
nobilitatis praerogativis in judiciis exaequasse.

1357. Sed mox vetitam perosus Venerem et haeredem bonorum
exoptans, tertiam uxorem Hedvigim nomine, Henrici Glogo-
viensis ducis filiam in matrimonium assumit cum eaque
in Majorem Poloniam simul divertens, oram illius omnem
sublatis oppressoribus populi et tyrannis paci reddit.

1358. Sacrum et profanum deinde ordinem ratione solutionis
decimarum dissidentem scriptis cum Jaroslao Archiepisco-
po tegit componit.

1359. Daciam vectigalem jure clientelari recipit et Stepha-
num natu majorem fratrem ad eam occupandam exercitu
suo promovet. Petrus natu minor venientem fratrem
dolis excipit impulsu arborum succisarum magnam
partem exercitus nostri obtruncat et spoliat.

1360. Cladem dacicam secuta est lues acris sontica, quae in
sola urbe Cracovia 20000 absumpsit.

1361. vide ap. Dlugossum.

1362. Post pestem nata est fames ex unius noctis tempe-
state. Etsi enim luxuriarent foecunditate omnis generis
segetes ad medium usque Junium, aquilo tamen decer-
tans cum sibi oppositis ventis intra spatium noctis
unius et rem et spem agricolarum, relictis inutilibus in
campis sulcis abstulit. Laboranti annona populo Rex
succurrit apertis, quae refertissima ex antiquo habuit
granariis, exindeque pater patriae merito appellatus.

1363. Atrocissimi belli metus, quo fortassis ex intempestivo
Caroli IV imperatoris in Helisabetham, Hungariae regi-

nam coram legatis ejusdem regni dicto, tota Europa concussa fu-
isset; exortus inter ipsa praeparatoria belli per Urbanum V
communem Christianitatis patrem est sublatus. Cujus legatus
de latere Fr. Joannes, Ordinis Minorum, vir solertissimus
ex caduceatore paranymphus factus, Carolum persuasit, si se
imperiumque servatum vellet, ut in domum, quam verbo lacese-
rat, accepta Elisabetha, Casimiri nepte, in connubium
transiret. Nuptiis celebrandis domus Casimiri designata,
quod id aetatis tantae sibi essent opes et divitiae, quantae a-
pud neminem ex Christianis principibus, nec uspiam ma-
gnificentius Regum conventus celebrari potuerit, quam
Cracoviae, propter civitatis amplitudinem, incolarum
humanitatem et rerum omnium affluentiam. Tertia post
adventum Caroli, imperatoris, die Elisabeth matrimonio per
Jaroslaum Archiepiscopum gnesnensem, praesentibus Petro
Cypri, Sigismundo Daniae, Ludovico Hungariae, Casimiro
Poloniae regibus, juncta est. Totis viginti diebus laetitiae
nuptiali indultum, regibus hospitibus non tantum a Casi-
miro, sed etiam a suae aulae ministris, potissimum Joanne
Wierzynek, post regale epulum in domo sua privata ap-
positum ad centum millium aureorum munera oblata. Per-
actis rite nuptiis et renovatis de more gentium foederi-
bus non minori magnificentia, quam adducti fuerunt
hospites per ministros regios ultra fines Poloniae sunt deducti.

* Annus apud omnem posteritatem per Poloniam est 1364.
memorandus, quod eo lubente primum olim erecta Acade-
mia Cracoviensis confirmationem suam a Sancta Se-
de Apostolica fuerit consecuta. Etsi enim Casimirus tan-
quam absolutus et nullum superiorem recognoscens prin-
ceps, Academiam erexerat, et in ea ex nomine et aucto-
ritate suis honores literarios, qui eos mererentur per
doctores et professores iuxta morem et secundum leges
Gallicanarum universitatum distribui fuerit, neque ad
id approbationem ullius necessariam aut requirendam

putaverit. Cum extra territorium jus dicenti impune non paretur. Quoniam Quem.
tamen nihilominus illi, qui hac sola auctoritate regia ad gradus
erant promoti, difficulter ab beneficia ecclesiastica admitteban-
tur, quod solius principis saecularis non etiam Ecclesiae summi
Pastoris charactere essent signati; jam vero literariae digni-
tates in ecclesiastica hierarchia definitum locum et distinctio-
nem haberent, quas rite sola potest et debet pro jure suo summa
vicarii Christi et D. Petri Successoris conferre potestas. Nam
ecclesiae caput Christus alios quidem fecit Apostolos, alios E-
vangelistas, alios prophetas, alios doctores idcirco rex ne suae
Academiae quidquam splendoris, aut iis, qui in ea promoveren-
tur, aliquid juris deesset, confecta et concessa ipso die Pente-
costes utpote die festo Spiritus Sancti ~~oratione~~ omnis
sapientiae largitionis privilegia Academiae per fora
publicari mandavit eaque per nuncios et oratores
suos Avenionem, ubi tum sedes Romana erat perferri cu-
ravit, haec ipsa confirmari et nomen Universitatis Aca-
demiae suae Cracoviensi tribui a S. Sede Apostolica petiit. *

* Urbanus V summus tunc ecclesiae Christi ~~pontifex~~
praeses, cui nihil ut sanctissimo et sapientissimo antiqui-
us fuit, quam fidem Christianam in gentibus propagare,
Haereticos refutare, Schismaticos per oratores suos docto-
res Academicos debellare, erectionem Studii generalis de-
votionemque ad S. Sedem Apostolicam Casimiri regis
primo diplomate suo laudavit et commendavit. Altero apud
eundem Regem pro doctoribus et studentibus in dicto
generali studio manentibus et mansuris intervenit,
ut privilegia iis concessa servet et ab omnibus servari
faciat, ipseque vero in omni licita facultate praeterquam
Theologia docere et premia literaria ac honores studentibus
conferre possint doctores ordinat ac statuit. Cancellariatum
tamen, quem rex regni et universitatis eundem esse volu-
erat ecclesiae cracoviensis attribuit, ut episcopus craco-
viensis perpetuus sit Academiae cancellarius, sede vero

?

vacante Capitulum almum seu illius Administrator.* Tertio
tandem diplomate Jacobum, episcopum, cognomento dictum
Swinka, delegatum Sedis sanctae instituit (+), ut is aucto-
ritate summae sedis, quod et fecit, dictum Studium genera-
le per Casimirum regem erectum olim et fundatum in
partibus, confirmet.

Et ex eo tempore, inquit Dlugossus, coepit universitas Cracoviensis
vehementer in egregiis per suas promotiones ingeniis clarescere.
Nam Magistri ex ea non tantum ad pinguiores praebendas, sed
etiam ad episcopatus et cardinalitiam purpuram, ut tunc erat pretium
scientiae et bonae conscientiae, vocabantur, prout in sequen-
tibus annis patebit, et promovebantur. Haec autem sunt re-
giae erectionis et pontificiae confirmationis exemplaria,
quae sequuntur.

Confirmatum ergo est Studium generale Cracoviense
Casimiriae per Urbanum V. Cyclo ☉ 1. ☽ 16 Indict. 2. Anno
periodi Julianae 6077. Cracoviae vero post translationem
inchoatae sunt lectiones Cyclo ☉ 9 ☽ 14. Indictione 8.
ergo periodi Julianae annus erat 6113 =

Plantata in regno Casimirus pacis olea, palmam quoque 1365
inseruit. Nam in hoc tempus pro ademptis Russiae partibus,
de Lituanis delata ultione, duce Justitia, victore Marte, eni-
quos occupatores de Roxolis arcibus dejecit, fugatoque Lubartho,
Volhyniam in antiquam redegit provinciam, Luceoriae, Vladi-
miriaeque praefectos Polonos dedit, Korybutto, Alexandri ducis
Lituaniae filio, qui se clientem regis profiteri non erubuit,
concessis aliquot ditionibus, retinere sua indulsit. Sequentibus
denique duobus annis, pacatis finitimis hostibus et in ordinem
redactis, onustus victoriis in Polonia triumphavit.

Bodzanta primus Academiae Cracoviensis biennio post 1366
confirmationem a S. Sede Universitatis obtentam, vigesimus
autem octavus episcopus Cracoviensis hoc anno in vivis esse
desiit, Kielciis. Cui Florianus Mokrscius per viam scrutinii 1367.

+) vide

? a Capitularibus electus, Casimiri Magni permutione a Gregorio XI
Avenione in episcopum cracoviensem est consecratus.

1368. Vistula imbrium frequentiore auctu humidus, mense Au-
gusto ripas egressus, omnes in declivi regiones limo infecit, fru-
ges corrupit, armentorum et hominum magnam multitudinem
in Oceanum secum abstulit. Hoc damnoso ejus eluvio prae-
sagium fuit et Poloniam mox cineribus Regiis deformatum
iri et exundantes calamitatum tempestates in patriam
venturas. Et quidem fata Regia, 1367 adhuc Urbanus V sapi-
entissimus et religiosissimus princeps veneno sublatus praeces-
sit Avenione sepultus; postquam magna in ecclesia Dei
confusio, quam D. Brigitta Sueca vidua praedixerat est exorta.

1369. Rex vero cum de more supplicum causis et justitiae inten-
dens regnum per provincias obiret, ipso natali Virginis
Sanctissimae Predborii substitit, ibi post divina in vena-
tione, dum cervos avidius persequitur, equo inter vepreta
cadente, ipse quoque terrae graviter allisus, in febrem incidit,
a qua opera Magistri Henrici de Colonia, archiatri sui
liberatus, vitam ulterius si ejus consiliis acquievisset,
produxisset; sed dum balneo et fructuum esui, a quibus non minus
quam a veneno abstinendum Henricus censebat, intemperan-
tius indulget, Matthaeo medico ad omnia connivente et Cra-
coviae medicinas salutares adhibiturum se pollicente, cru-
ditatibus dolores augentibus, in humeris suorum, nam ve-
hiculo portari non poterat, in urbem delatus, ad metam
vitae accessit. Cum Matthaei promissa frustra expectat

1370 Divoque Sigismundo Plociae vota facit, sacra exomologesi
animam expians cum lacrymis, sacra synaxi reficitur, disertoque
? ? ore fidem Catholicam in praesentia sui senatus professus, ga-
zam suam regiam in filias et uxorem divisit, Casimiro autem
Boguslai ducis Stetinensis filio, nepoti vero suo, aliquot ter-
ris assignatis. Floriano, episcopo cracov. et Vladislao, duci opolien-
sis ultimae suae voluntatis executorem reliquit inque crucifixi
amplexu animam Deo efflavit. Morte ejus vulgata tantus
moeror et dolor homines per omnes regni provincias occupa-

pavit, ut prae stupore rigerent, in lacrymas deinde soluti, surdas ad omnem consolationem tenerent aures, aliis pacis et tranquillitatis materiam sublatam, aliis ruinam regni, aliis vicinos hostes, aliis fortunam suam peregrino sub principe spectantibus, quorum aliqua, opinione celerius, evenerunt. Nam Lituani Lublinensem ac Sandomiriensem terras invadentes, atrocia quaeque patraverunt, crucemque sanctam e monte Calvo cum aliis thesauris asportarunt. Sed dum praeter et ultra fines regni crux sancta vehiculo immobilis, ulla vi transferri nequiret, ipsique lue quadam occulta quamplurimi perirent, per Chorobalum nobilem captivum sacrum depositum monti Calvo restituerunt, ipsique aliis onusti spoliis, ad propria redeunt.

Venientem ad sceptra Poloniae ex pactis conventis Ludovicum, regem Hungariae Cracoviam, solemni cum pompa recipiunt proceres, parva populi laetitiae significatione, cum nec regem alloqui nisi per interpretem possent, nec ea affabilitate atque clementia, qua sperabant, se ab eo recipi viderent. Jaroslaus, archiep. gnesn. in cathedrali cracoviensi, frustra obitentibus majoribus Poloniis Ludovicum in regem Poloniae inunxit, quod rex avi et avunculi praedecessorum exempla secutus, jus urbi et ecclesiae quaesitum labefactare nollet. Parentalibus Casimiro celebratis, proceres alienationes provinciarum per eundem factas, nulliter esse, denunciant. Academici vero gratitudine defuncto per expressum dolorem et lacrymas contestata, apud novum regem minervalia ex fisco regio sibi pendi solita, ut deinceps solvantur obtinent, qui mox, ablatis regni insigniis, matre pro se imperare in Polonia jussa, duas quoque Casimiri regis filias, ne quid turbarum darent, secum in Hungariam abduxit. 1371.

Verum motuum aliquorum in regno Vladislaus albus, dux 1373.

Gnievcoviensis, antea Divioni in Burgundia monachus factus, non autem filiae, initia in aliquot annos deserat. Is enim Boleslai pudici insistere volens vestigiis ad regnum Poloniae, jure sanguinis fultus, aspirabat. Obnitente tamen Ludovico apud sedem apostolicam a terreno, quem affectabat ad cuculum accepta a rege condigna suo statui ad mortem provisione Divionem redire debuit.

Magister Matthaeus de Cracovia, primus ex iis, qui ex academia prodierunt Cardinalis pro apotheosi S. Brigittae coram Gregorio XI in consistorio Cardinalium magna cum laude egit, utque divalibus ornaretur honoribus, impetravit. Is multa conscripsit. Exstat ejus manuscriptum de frequenti communione apud PP. S. Spiritus de Saxia Cracoviae.

1374. Neve ulli alteri praeter suam prolem aditus ad regnum pateret, Ludovicus tributum rastrale Polonis remittit.

? 1375. Annuunt votis suis equites sane pejus ac anguem, exosi omnem speciem servitutis, soli mysticorum subditi hoc tributo non erant exempti, eo quod major Clerus, ut inquit Dlugossus, parum diligens in impetranda hac sibi libertate fuisset, seu potius, quod inferiorem clerum neglexissent episcopi.

1376. Per absentiam regis a regno Poloniae Lituani antiquum sapientes, omnem oram, quae Sano et Istula alluitur, vastarunt, abacti in morem armentorum multis millibus hominum, regiones populosissimas desolaverunt. De communi hac patriae calamitate dum a proceribus Helisabeth regina compellatur, respondit, non impune id futurum hostibus, cum regi filio satis longae essent manus, quibus e lustris etiam extracturus esset ~~ad poenas~~ ad poenas Lituanos. Ac et energia cassa vox, etiam fuit odiosa, magis autem insolentia Hungarica, quae currus in urbem venientes in sua diversoria avertebat. Vim vi repellit Predborius de Brzezie ex [gap] fit tumultus, ad quem sedandum

— Joannes Kmita, arcis Cracoviensis capitaneus, missus, dum et ipse telo hungarico trajicitur, fratres, cognati, [gap] defri involant sine discrimine in Hungaros, vulnerant, mactant trucidant. Centum sexaginta eo die feruntur caesi. Soli, qui

in arce ad latus reginae haeserant, a clade illa supererant. Arx toto triduo clausa tenebatur, donec sedato tumultu, Petrus Joannis occisi filius, lenciciensi accepto capitaneatu, omnem injuriam, sibi in patre illatam, condonaret. Nec diu post regina impar tractando regno in Pannoniam abiit.

Ludovicus indicta equitibus Poloniae ad bellum contra Lituanos expeditione, ipse quoque cum aliquot pannoniis copiis in Russiam processit. Ibi chelmensi arce expugnata Betzum Kaistuto in feudum concedit. Postulati suppetias Mystici (?) nec subsidia, nec stipendia huic bello dederunt, ne se militari servituti obnoxios redderent. In reditu ad natale solum Vladislaum, ducem opoliensem, Podoliae praefectum, Poloniae proregem constituit, arces vero Colonyensem, Cameneccensem, quas regno Hungariae adjungere satagebat, Hungaris et Polonis sibi obnoxiis committit. Quo consilio regis penetrato cum nec ipse causis cognoscendis, nec provinciis ab hostibus tuendis attenderet, nam Vladislao duci impune non parebatur, quod regi et non duci juramentum fuisset praestitum, a nobilitate proclamatum est na rokosz, quae vox nihil aliud significat, quam communem reposcendi a rege religiosorem juramenti sibi praestiti observantiam vel se in libertatem cum communi armorum sumptione vindicandi voluntatem. Etymo vocis, ut ego arbitror, mutuato a Germanis et nonnihil corrupto Rock aus, quod significat: exue vestem. Quemadmodum enim aditio possessionis alicujus beneficii investitura dicitur, ita destitutionem ab imperio Polonis rokosum dicere placuit. Conventui generali celebrando locum apud oppidum Gleniany designant, eo et ipsi frequentissimi confluunt et regem missa honorificentissima legatione invitant, deducunt, erectoque in campo tribunali collocant. Tum de proditoribus patriae, qui de avulsione Colomien. camenecen. arcium convicti essent supplicium sumptum esse, amoto panno, quo eorum cadavera tecta erant monstrant; demum regem

orant, ut memor juramenti justitiae diligentius intendat in
regnoque maneat. Ille vero auram Polonam sibi noxiam ob-
tendens, et poenas de suis fautoribus (sic) sumptas aver-
satus, rebus incompositis, in Hungariam recessit. Inde armis
civilibus per provincias regni annis ferme tribus laboratum
est.

1378. Gregorio XI extincto, Urbanus VI Romae pontifex creatus
in schismate contra Clementem VII, quod ad annos 50 perduravit.

Florianus secundus Academiae Cancellarius 29 episc. cracov.
libertatis ecclesiasticae apud Casimirum M. et Ludovicum vin-
dex, in sua cathedrali ad capellam S. Thomae humatus a. 1399.

1380. Clero deinde militares injurias non ferente, caeterisque ordini-
bus de hungaricis, apud se perpetuo quaerulantibus,
Ludovicus Budae diaetam generalem instituit, in qua Trium-
viros, qui nomine suo omnia in Polonia agerent Zawi-
szam episc. cracov. Dobieslaum fratrem ejus et Sendivogium
de Subino, palat. calisien. elegit. Zawischa cum esset gra-
viori corpore in Magnificum (?) Joannem de Nasiecolowice
onus triumviratus sui reclinavit. Magno dicti proceres
triumviri honore in Polonia erant recepti, quod iis vin-
dicibus quisque justitiam se consecuturum et praemia
debita virtuti obtenturum speraret. At dum isti longos
ordines litigantium post se trahunt, quod dicerent se non
posse quidquam gravius in accusatos per absentiam Zawischii
statuere, tum illa calamitosorum erupit in publicum lamen-
tatio: infelix esse regnum omne, quod aut nullum, aut
plures haberet proreges.

Zawisza mortuus, tertio Cancellario Academiae, 30 an-
tem episcopo cracoviensi Joannes Radlicius Med. Doct. ad
intercessionem Ludovici regis eligitur.

1382. Ludovicus funeri suo proximus Sigismundum generum
suum cum copiis specie compescendorum motuum in Majore
Polonia, re autem vera ad regnum capessendum ablegavit, qui
quod Domaratum ad preces multorum amovere generali capitaneatu
Majoris Poloniae nollet, licet Posnae et Gnesnae juramentum
fidelitatis sibi facta receperat, rex tamen esse immutata Po-

lonorum voluntate ~~esse~~ desiit, Ludovicoque mortuo Cracoviam non admissus, per Sandecz Carpatum superavit regnumque Hungariae tenuit. Ad reginae vero Helisabethae preces in conventu vislicensi factas, altera filia Hedwigis in regni haeredem per omnes ordines est suscepta.

Diu morata est Helizabeth Polonos ob teneriorem aetatem filiolae; tandem expectationem populorum ulterius protrahi non posse videns, Hedwigim in comitatu Demetrii cardinalis, 4 coronatorum, archiepiscopi Strigoniensis deferri curavit in Poloniam. 1384.

Tanquam numen aliquod coelitus lapsum exceperunt Sarmatae venientem Hedwigim, cui diademate imposito regnique habenis traditis, viros se esse obliti, gloriosum putaverunt imperia puellae acceptare, donec sponsum parem suo fastigio haberet. Nec aliam se Hedwigis quam sperabatur praestitit. Omnis ejus actio ex virtute, omnis vox tanquam ex prudentiae oraculo capiebatur (?). Academia, Pallades regnante, magnam in spem elata, coelos sibi vertice tangere videbatur. Nam in primo reginulae aditu benigne est accepta, et deinceps tanquam filia Casimiri Magni, sui avi, fuit habita, amata et promota. Quidquid optaverant facile apud benignissimam principem professores obtinuerunt, nempe, ut e longinquo situ, in urbium lucem Cracoviam transferrentur, stipendiis augerentur, theologiamque sacram profiteri possent, quae omnia subsequentibus annis Hedwigis apud S. Sedem Apostolicam et maritum regem obtinuit et impetravit.

De sponso reginae aequali assumendo anxie deliberantibus proceribus, oportunum ad sponsum ad regnum candidati nomine Magni ducis Jagellonis venerunt ejusdem fratres. Fluctuabat animo et multum abluctabatur Hedwigis consentire in gentilem cultu et moribus disparem principem, stante praesertim pro suis 1386.

? oculi Vilhelmo, archiduci Austriae, moratissimo, christianissimo,
a Ludovico patre sponso sibi designato. Quamobrem multum
operae impendi oportuit, antequam persuaderetur sponsalia
Vilhelmi in cunis contracta jure fuisse nulla, magni
vero meriti apud Deum fore, si infideli maritus cum
gente tota ad connubia reginae fidem et baptismum
reciperet. Gloriosum fore Polonis, si gens invicta ac
mis Cruciferorum ad Libertam et regni corpus per spon-
sum accederet. Respondebat illa, sibi ~~propter~~ praeter voluntа-
tem matris in re tam gravi non licere decernere. Irent
ergo legati in Hungariam et sensa parentis explorata
referrent. Helisabeth Lituanorum votis cum annuis-
set proceres Christinus Vlodecus et Petrus Szafrane-
cius, legatis lituanicis sunt additi, qui de promissis
cum Jagellone paciscerentur, eique et sponsam et re-
gnum offerrent.

1386. Magno comitatu principum Jagello Cracoviam ve-
niens, omnia, fama majora, in reginali majestate He-
dwigis invenit, formam, virtutem, fortunam, quibus o-
mnibus nec parem, nec similem Hedwigi, ea tempestate
orbis Christianus habuisse credebatur. Quare intra
paucos dies capita fidei edoctus, 14 februarii, et fonte
nomen Vladislai, ad aram Hedwigem, in medio ecclesiae
diadema regni a Bodzanta, archiepiscopo Gnesn. accepit,
et vicissim Lituaniam et Samogitiam regno, reginaeque
donavit, inscripsit jure perpetuo, fidem pro rege fa-
cientibus Vitoldo, Michaele et Lubarto ducibus, fratri-
bus.

Natalem hanc Lituaniae cum Polonia conjuncti-
onem Cruciferi sibi fore praesagientes, nec ad festa re-
ginalia, nec ad natalem Jagellonis invitati venerunt,
quin potius occupatis laetitia ducibus, ductore Andrea,
germano Jagellonis, in Lituaniam hostiliter irruperunt,

datisque plurimis damnis Lucomliae Andream praefecerunt, ad quem mox Potocenses defecerunt. Rex ulteriores eorum conatus aversurus Vitoldum cum aliqua Polonorum manu in Lituaniam transmisit, ipse cum regina praemissis in Majorem Poloniam copiis in refractarios divertit ducemque quatuor annis ob mutuum armorum Grimaliae et Nalęcziae gentis dissidium exulem revocavit.

Ineunte bruma piissimi conjuges, non tam principes, quam apostoli, assumptis episcopis et ex ordinibus academiae piis doctisque viris, in Lituaniam contendunt. Indicto generali ad Vilnam omnibus gentilibus conventu, Jagello de cultu falsorum deorum abroganda deque suscipienda catholica vera fide egit. Metuentibus Lituanis deorum suorum supplicia, Rex nulla sui, aut suorum laesione, ignem aeternum extinxit, fana diruit, aras subvertit, lucos succidit, serpentes terrae allisit. Qua numinum vanitate cognita, incolae de fidei mysteriis instructi, turmatim baptisabantur. Ipse Jagello supra 10,000 hominum sacro fonte abluit. Pro fovenda fide 7 ecclesias diversis in locis Vilnae in memoriam D. Stanislai crexit. Operis socia Hedvigis ex abaco sua calicibus, ex purpura vestibus, ex arca censibus sacerdotes providit et procuravit, factoque delectu juvenum, qui disciplinarum capaces videbantur, alios Pragam in seminarium ab se erectum, alios Cracoviam in generale studium secum duxit. Tanto autem fidei propagandae desiderio Jagiello aestuabat, ut ipse, remissa in Poloniam regina, per vicos, pagos et oppida obiret, idololatras quaereret et aqua tingeret, imo abditos in lustris ferarum, liberalitate ad capiendum baptisma evocaret, celebratoque Natali Domini primo apud novum Vilnae episcopum, cui Andreas Vasilo, ordinis minorum primus episcopus praeerat, Vitepsci, Polociisque gliscentes seditiones suppressit, Skirgieloni fratri Lituaniam regendam commisit, Leopoli a Petro Valachiae despota juramentum fidei recepit, annoque vertente Cracoviam remeavit. 1388.

Sed ea omnia, quae per Regem in Regno et Lituania sanctissime erant constituta, princeps tenebrarum regionibus suis pulsus, assumptis deterioribus septem spiritibus turbavit, miscuit et confudit, ac inprimis opera mendacissimi delatoris in animo Jagiellonis contra Hedvigim de temerata thori fide nefandas concitavit suspiciones. Prope jam dissidium erat conjunctissimorum conjugum 1389.

ni prudentia senatus fabricator doli recantatione palinodiae innocentiae reginali luculentissimum reddidisset testimonium. Inter Skirgiellonem vero et Vitoldum eo aemulationis processerunt odia, ut Vitoldus ferociae Skirgiellonis cedens, ad Cruciferos nomini Polono infensissimos hostes transiret, unde Lituani et Samogitae in partes Vitoldi et Jagiellonis scissi, miserrime internis caterpanisque armis conflictabantur, similibusque Russia laborabat calamitatibus dum Poloni retinere, Pannones contra regno Ungariae Podoliam vindicare armis contenderent.

Urbano VI Romae hoc anno extincto Bonifacius IX pontifex in Vaticano conclavi 13 Cardinalium votis creatur 4 nonas Novembris.

1390. Nec tamen percuntem Lituaniam perire patitur Jagiello, nec ab aversa avertitur, fugientem ab se paterna charitate insequitur, veneranti se blanditur, nec solum crimen rebelli ignoscit, sed et salutem offert. Coactam nongentorum ex aulae suae polonae ministris fortissimam manum, quocunque ducebat, ad victorias certo obtinendas movebat, spectantibus Vitoldo et Cruciferis, atrocissima hyeme semel et iterum Grodnum incessum cum validissimo germanico praesidio recuperat, alias civitates sponte venientes, alias metu armorum victas non rejicit. Hedvigis, cui maritus rex abiens imperium in Poloniam et defensionem commiserat, metuens Jagielloni, ne quis eum gravior casus apud gentem fluxae fidei urgeret, ad pedes Crucifixi, qui ad hunc diem in Summo Cracoviensi argento inclusus religiosissime colitur et servatur, affusa, dies noctesque Christum precaabatur. Sic precanti Christus vicissim e trabe illa, quod constans et perpetua traditio retinet, bene precatus est, omniaque sua vota

? sibi grata et rata esse dixit. Qua voce animata ipsa quoque calatis a[d]suetas manus suas armavit, tumultuariеque collectis copiis, exercitum in Russiam duxit, Pannones inopinato bello perterruit, Jaroslaviam, Grodekum, Haliciam, Treborlam, ipsamque urbem Leonis relinquunt, impetrata vitae venia incruentam deditione spontanea victoriam novae Imperatrici deferunt.

1391. Clemens VII Avenione mortuus, electo a suae obedientiae Cardinalibus Benedicto XI locum concedit. Schisma; nam Romae Bonifacius IX papa factus.

Joanni Rudlico tertio Cancellario Academiae successit Petrus Wysz U. J. D. in episcopatum.

1392. Postquam autem armis et venenis in fratres regios Lituaniae duces

saevitum est satis, Vitoldus reconciliatione Masoviae ducis apud
Vladislaum in gratiam recipitur, a quo et suppressum Lituaniae
ducatum jure clientelari accipit. Quamvis enim Jagielloni esset nepos
ex fratre, fratribus tamen germanis eundem Vladislaus praetulit, quod
ingenio esset liberali et ad imperandum nato.

Aegre enimvero Skiergelo ferebat Vitoldi prae se ad clavum Litua- 1393.
niae evectionem longeque nocentior ex hac causa inter fratres ar-
ta fuit latens discordia, quam apertum bellum. Aegrotanti Skiergelo-
nis animo praesentem adhibuit Vladislaus medicinam, adjectis ad du-
catum Kijoviensem, quem illi concesserat Starodubo, Troki et ali-
is, modo Vitoldum ut supremum Lituaniae ducem revereretur, et si
quid animum suum angeret, non armis, sed rationibus apud reginae
tribunal tanquam sequestram pacis, fraterne reposceret.

Tantillum autem in regno nacti tranquillae quietis principes, Cla-
rum montem imagine Deiparae Virginis a S. Luca depictae illustrem ?
et basilica ornant, et dote P.P. D. Pauli Eremitae primi ex bonis immobi-
libus augent, Florentiae ad Cracoviam templo ingenti sub titulo SS. Cru-
cis fundamenta ponunt, Pragaque accitis PP. Benedictinis, qui slava lin-
? qua sacris operantur, consignant. In arce Cracoviensi cathedrali eccle-
sia 17 presbyteros, qui choro silente, hymnos et psalmos canerent, institu-
unt, in arenis vero ad occidentalem urbis partem PP. de Monte Car-
melo ecclesiam Divae Virginis miraculo arenarum celebrem, constructo ?
coenobio, regendam et gubernandam tradunt.

At in Lituania alter post Skiergielonem Vladislai germanus 1394
Suidrigelo aemulatione Vitoldi accensus, impetratis apud Cruciferos
auxiliaribus copiis, ut se principem Lituaniae assereret, amplissimam
iisdem de Vitoldo sumendae vindictae praebuit occasionem. Illi enim
non tam auxilii favore, quam ultionis nomine, longe lateque circa
vastata regione, Vilnam bimestri obsidione tenuerunt, castrum Curvum
dictum exusserunt, ipsaque arce potiti fuissent, si doli successissent, quos
cum Vitoldus sagaciter investigasset, Cotairos, sacerdotum, schismaticorum
ea nominatio est, laqueo suspendit, abeuntesque in Prussiam hostes, ex in-
sidiis non exigua clade affecit.

Rex quoque Vladislaum ducem Opoliensem de feudo terrae Vielunensis 1395.
sibi a Ludovico concesso compellatum et imperata facere detrectantem,
bello praeter opinionem celeriori in Silesia oppressit, lingua in poste-
rum et manu, quibus regem offenderat, ab omni injuria abstinuit, et per
alios principes eidem reconciliatus, pacem sanctius coluit, experientia
doctus, violationem juris alieni perpetuo secum calamitates magnas et

matorum Iliada trahere.

1396. Vulgus hominum ad pollicendum facillimum in praestando saepe fallit, quod plerumque inde evenit, quia alieni promissi fiducia fallitur, Unde recte Cato lib. 1.

Rem tibi promissam certo promittere noli
Rara fides ideo: quia multi multa loquuntur.

Non sic inter heroinas clarissima Hedvigis nostra promissa semel academicis professoribus apud regem maritum Studii generalis Casimiritani promotione et viri fidem solvit, et quantum in ea situm erat, praestareque poterat, ipsa praestitit, pro theologica facultate impetranda ut ipsa in hoc generali studio auctoritate Sedis apostolicae instituerctur, uterque principum apud Bonifacium IX summum ecclesiae pastorem, missa solenni legatione supplicarunt, quorum petitioni libenter Summus Pontifex subscripsit, causasque justissimas facti sui in Brevi concessionis expressit, Theologiamque sacram in Universitate Cracoviensi ea praerogativa legi voluit, ut quicunque in ea studerent, vel ejus gradus assumerent, omnibus privilegiis, libertatibus gauderent, quibus gaudent promoti theologi in parente academiarum Parisiensi Sorbona.* Obtenta hac suprema liberalitate Bonifacii Facultate theologica, eandem ordinandam, assignatis ex thesauro regis pro lectoribus stipendiis, donec alia occasio daret, qua certiora omnibus professoribus salaria providerentur Joanni Isnero S. T. D. Hedvigis committit, brevi quoque in urbem opera sua academiam transferendam promittens.* Sciebat enim regi atti amuso suis rationibus persuadere: Nullas familias, nullos principes, nulla imperia opibus ac victoriis tam floruisse, quam quae maximam literarum ac egentium curam habuerunt. Alias illustres familias, imperia, civitates cum principibus in exitum prolapsas esse, aut gravissimis calamitatibus et egestate conflictatas esse, quae tenuium bona diripuerunt, aut quasi praedam militibus ac latrociniis publicanorum objecerunt. Quo in genere virum exemplar D. Ludovicum, Franciae regem, ob oculos illi statuebat, qui viginti et octo virorum doctorum Collegia suis opibus fundavit, tametsi 120 pauperes, qui se consequebantur, humanissime et eodem victu, quo se ipsum quotidie sustentaret, diebus vero quadragintadialis jejunii numerum personarum duplicaret. Qui quod annos quatuor et quadraginta summa cum sui nominis gloria imperarit, et ita imperarit, ut hostibus quidem formidolosus, carus amicis, Deus subditis, vas-

sanctus omnibus haberetur, nihil mirandum esse ex ejus pietate dicebat. Hoc amplius quod in summa parte felicitatis reges ponere consueverunt non omittebat, quod quinque filios, quatuor filias, se moriente spirantes ac regnum armis et legibus florentissimum reliquerit.

* Non erat difficile Hedvigi, suaeque promptissimae et sanctissimae in augenda, ornanda, amplificanda Academia voluntati, habere obsequentem Vladislaum, utpote ex infideli orthodoxum, ex neophito apostolum, quique facile perspiceret, quot operariis opus haberet messis in Lituania magna. Sola tamen bene ad omnem posteritatem restaurandae universitatis ab eo commoditas expectabatur, etiam beneficium non in tempore nec loco opportuno datum gratiam perdere, immo vitam amittere consuevit. *

Bonifacii IX papae, qui primus romanorum Pontificum post reditum sedis apostolicae ex Gallia, urbis Romae imperium obtinuit, mausoleo Hadriani instar arcis et Capitolio munitis, pontificum ditionem stabilivit, eorum majestatem nutantem confirmavit, ecclesiae patrimonium tyrannorum vi amissum recuperavit, Latium, Campaniam, Picenum, Hetruriam, Flaminiam, Aemiliam provincias, item urbes Narniam, Tudertum, urbem veterem Viterbium, Perusium, Fornasulii, Faventiam, Bononiam, ecclesiastico imperio restituit, Galeatium Italiae formidolosum repressit, Robertum, Venceslao ob ignaviam deposito, caesarem dixit, palatium Vaticanum, quod nunc superest, perpetuae sedi pontificum inchoavit, diploma seu breve apostolicum pro theologia in academia Cracoviensi erigenda, hoc est quod sequitur. (Vide inferius.) ???

Quo tempore ramum felicis olivae Roma in academiam Vladislaus cum Hedvigi, eadem palmam Vitoldus, dux Lituaniae ex Tartaris in Lituaniam importavit, fuso eorum ingenti exercitu, tribum unam, ordam dicunt, communiter captivam, quae ad hunc usque diem durat, ad Vilnam adduxit.

Soliti Cruciferi impune neophitas Lituanos lacessebant, Dobrinensemque terram a duce Vladislao nulliter emptam in scissuram regni injuriose occupabant. Rex in eos arma, proceres pacis media tentanda suadebant, quod scirent totam Germaniam pro illis pugnaturam. Hedvigis ob insignem mansuetudinem et singularem prudentiam ad componendas regni differentias ab utraque partium electa Juniwladislaviam, ubi eam Magistri cum Commendatoribus expectabant descendit. Multae utrinque per dies aliquot habitae gravissimae deliberationes. Spretae sunt omnes 1397.

a Cruciferis per Reginam repraesentatae justae pacis conditiones, nummusque identidem pro terra Dobrzinensi quadraginta millium aureorum postulatus. Tulit modeste insolenter superbum Hedvigis Jungen, Prussiae magistrum, ac in discessu, rebus incompositis, satis habuit vates illi esse, quod se vivente gladium polonum vagina vacuum non esset visurus, qui a morte sua nomen etiam Cruciferorum ex terris Prussiae esset exiturus.

1398. Redux in Poloniam, invenit Vitoldum, ducem Lituaniae, contra Tamerlanem, orbis illum terrorem, magno cum exercitu moventem, quem ipsa, quod cladem esset accepturus, ex divina revelatione sibi facta, monuit. Vir militaris phantasticam eam fuisse imaginationem respondit, at exitus divinam esse probavit. Nam commisso cum Ediga, Tamerlanis ductore, ad fluvium Vorskla, proelio, exercitum florentissimum amisit, ipse cum Skiergielone mortem vix fuga vitavit. Plagis ergo melior factus, Reginae sanctitatem cum uxore Anna veneraturus et prolem Vladislai praesentia et muneribus excepturus, Cracoviam venit.

1399. Cum Summus Pontifex legatum de latere, qui susceptoris munus novae prolis obiret, maturius ipso tempore designasset et rex cubile puerperae purpura, gemmis, auroque exornari jussisset, actis utrique gratiis, Hedvigis respondit: se non passuram ullo adsertitio splendore cubile ornari, quod funesta mors matris et prolis funereis taedis esset denigratura. Quatuordecima Julii enixa filiolam, quae Elisabeth Bonifacia nomen accepit, eam Deo foecunditatis auctori, ardentissimis quibus potuit votis obtulit. Post triduum emortuae nec ipsa diutius superfuit. Ingravescentibus enim doloribus, testamentum condidit, quo suppellectilis suae reliquae egenos et Academiam haeredem dixit, Petro Visso et Joanne Tenczinio executoribus testamenti nuncupatis. Sacro viatico et extremae unctionis oleo delibuta 17 Julij, circa meridiem, e regia terrestri ad regnum coeli capessendum abiit.

Ejus praesens apud Deum patrocinium mox a morte experti sunt ad sarcum ejus (corpus) admoti mortui vitam, caeci lumen, claudi gressum recipientes, hodieque experiuntur ad ejus sacra lypsana in laeva parte ad aram maximam ecclesiae cathedralis Cracoviensis deposita solatia afflicti, pro quorum pignoribus apud Reges terrae laboravit.

Erat singulari, ut inquit Dlugossus, pietate et sanctitate toto vitae suae tempore praedita, ab omni fastu, levitate et ira aliena, gazam regalem, quam opulentissimam e domo paterna secum in Poloniam attulerat, in cultum divinum, in publicas necessitates et in egenos ac pauperes effusissime erogavit, adeo, ut subinde aera suspiraret - - - Argumento est suppellex omnis reginalis post mortem relicta nonnisi ad ... (sic?) aestimata. In orationibus assidua, in jejunio adventus Domini et quadragesimae pertinax, in ciliciis et aliis mortificationibus sibi inducendis constans et fortis, in omnibus actionibus prudens, in perficiendis gravis, in regni negotiis tractandis felix, in regio throno humilis, in forma singulari sibi despecta. Orbi universo non tam ob claritatem generis aut sceptrum regale, quam ob virtutum splendorem nota et celebris. Sanctitatis simulacrum adhuc dum viveret a Bonifacio IX, qui arca superni consilii dicebatur, nuncupata.

?

Aberat tum in regno rex. Trisciis (sic) in Lituania moram habens, ad quem publico luctu omnium subditorum populorum mors reginae et prolis simul allata, in lamenta et planctus regium pectus resolvit, Cracoviam accurrens, dilectae conjugi lacrymis et pompa funebrali justa 15 Augusti exsolvit. Planxere matrem suam in Hedvigi Musae Academiae, quae mortem Reginae suum esse occasum a summo spei culmine in quo assurrexerant, impetrata jam domo Cracoviae et stipendiis pro theologis, in antiquum statum relapsae, augurabantur, si rex animo, ut coeperat, fluctuaret, an clavum Poloniae retineret. Postquam vero Vladislaus animum a moerore recepit, et de sceptro dimittendo a Senatu confirmatus, cogitare desiit, serio de Academia ~~restituenda~~ restauranda, sive carae conjugis voluntati satisfacere volens, sive hac ratione Polonos demereri cogitare coepit. Quo die Cracoviae reginale funus, eodem Posnaniae grande miraculum ad confirmandos neophitorum animos divinitus accidit. Die assumptae Virginis ancilla cujusdam civis in templo fratrum Praedicatorum post divina mane ad altare et tabernaculum V. Eucharistiae ter retrocedens, ter, abjecto timore et reverentia, consurgens, accessit, e sacra

nunc Trociis

pixide 3 hostias minores aufert, ~~peplo~~ involvit, Judaeis in domo Swidzinska vendit. Gens sacrilega effusum in mensam corpus Domini acubus, cultris, aliaque ferrea supellectili petit, vulnerat, scindit. Funditur large sanguis, perfusa oculos eo cruore coeca judaea visum recipit. Stupent prodigio tortores, ut facinus celent et poenas evadant eadem peplo involvunt, et extra civitatem porta castrensi efferunt, paludique immergunt. Dum per portam Salvator effertur claudus inibi jacens in pedes se erigit, alter infirmus, qui animam agebat, surgit et exclamat Posna, Posna, rursus in te Christus crucifigitur. Ad haec prodigia latebat adhuc scelus. Ergo die Solis, solis circumfusae radiis, tres illae panis particulae in altum tolluntur, a pastore et Paulo puerulo conspiciuntur. Adorant Dominum sub specie panis latentem jumenta, quem pannis involuta in genua prona in Bethlehem adorarunt. Joannes antistes civitatis hujus, nomine secundus, supplex cum clero sacrum pignus veneratur, tollit, et in sacrario templi Mariae Magdalenae deponit. Inde translatae coelitus illae species in loco praebent se videndas. Quare mox eo loci sacellum erigitur ac post basilica per Vladislaum fundatur, divina ubi potentia multis miraculis claret.

Annalium Almae Academiae Cracov. Centuria secunda.

1400 Christi annus, alter est Academiae Cracoviensis natalis longe felicior quam primus, quo a primis initiis et fundamentis assurgere coepit. *Quamvis enim Casimirus Magnus ad regni sui decus et ecclesiae sanctae Dei firmamentum ingenti opere, splendido cultu, domos, cameras, lectoria e lapidibus quadris pro habitatione et lectionibus doctorum atque magistrorum in cognomine ad urbem Cracoviensem civitate, novae suae universitati aedificaverat, amplissimaque eidem privilegia et stipendia sufficientia professoribus assignaverat, *ac tandem

supremae sedis apostolicae autoritate omnia confirmanda cura-
verat, nihilominus tamen veluti invita Junone haec unica
sua proles mascula nec adolevit, nec ad summum gloriae
et honoris gloriosi fastigium pervenit, ac, ut inquit Miden-
dorpius, hactenus obscura fuit. Obscuritatis hujus causas fuis-
se existimo fortunae variantis vices, invidiosam vetustatem
et negligentiam scriptorum, vel eorundem casu aliquo deper-
ditionem. Nam quid defuerit Casimiritanae Universitati
praeter theologicam facultatem, quam Summi Pontifices
vero nonnisi et magna cum deliberatione solent concedere,
non video. Martinus V Lovaniensem 1425 instituit aca-
demiam, theologiam illi tamen profiteri non permisit.
Bononiensis academia inde usque a Theodosio fuit in-
stituta, cum tamen nonnisi ab Innocentio VI theologica fa-
cultate aucta fuerit, idque anno 1360. Viennensis antea
olim erecta, difficulter tamen ab Urbano VI confirmationem
et theologicam facultatem obtinuit, et ut in ea gradus li-
terarii conferri possint. Hoc idem nostrae contigit, cui Boni-
facius IX, 1396 ante restaurationem Jagiellonicam, ut in ea
theologia cathedram haberet et gradus suos, benigne indul-
sit. Certe ad annum usque praesentem, praeter supra me-
morata privilegia, acta Universitatis, exceptis apud Joan-
nem Dlugossum et in alio quodam manuscripto aliquibus mo-
mentis, nulla vidi. An id acciderit, ut superventu novae
fundationis, vetus obliterata fuerit, an vero a potiori deno-
minari Jagiellonicam academiam Cracoviensem majoribus
nostris placuerit, ignoro. Cromerus libro XII de rebus ge-
stis Polonorum, de Casimiritana academia haec habet. An-
no sequenti, qui fuit 1361 Casimirus missis Avenionem ad
Urbanum V, pontificem maximum, Innocentii successorem, ora-
toribus, impetravit, ut et Cracoviae sive adeo Casimiriae nova
academia institueretur, et academiae vero coeptum opus magna
parte aedificiorum consequentibus annis magno sumptu excitata ad
finem tamen tunc perductum, non est, Casimiri morte intermissum.
Matthias vero Miechovius sic infit: Casimirus hujusmodi fundati-

nie 1396 ale 1397.

tak dosłownie ~~bez~~ należytego potęgowania przepisał Radymiński Kromera, że brak związku myśli wynika z tego, iż następ o akademii lwowskiej wśrodku opuścił.

onem a sede Apostolica admitti obtinuit, Jacobus II Swinka cognominatus, archiep. gnesnen. per literas apostolicas commissarius et executor designatus, praefatum studium Casimiriense confirmavit, quod tamen morte Casimiri interveniente non fuit sortitum effectum, nec ipsa fundatio atque dotatio progressum habuit. Midendorpius sic habet: Cracoviensis academia primo quidem a Casimiro A° 1361 inchoata fuit, sed a. 1400, vocatis ex pragensi academia clarissimis professoribus, cum hactenus obscura fuisset, restaurabatur. Hedvigis enim regina, Vladislai uxor, moriens ingentem pecuniam reliquit, qua Cracoviensis academia a Casimiro coepta perficeretur. Horum omnium primae classis historicorum verba sola spectant regum privilegia et pontificum brevia, originem, quam nos ex indiciis investigavimus non respiciunt. Quis enim privilegia pro iis, qui non sunt concedit, aut eorum comprobationem curat, quae non existunt. Non entis ut nullae sunt actiones, ita nullae passiones.

Fatendum ergo est, primos et novissimos fructus Academiae Cracoviensis Casimiro Magno deberi, qui opus, intentatum aliis, magno animo inchoaverit, professores Parisiis et Avinione adduxerit, Collegium insigne, ut supra, ex Dlugosso dictum est, Casimiriae posuerit, privilegia copiosissima, pensionesque liberales eisdem concesserit.* Quod supremam manum tanto operi non imposuerit, non id suae, sed supremi numinis erat voluntatis. Recte, inquit Cromerus: Invidere ipsi fortassis fata hanc gloriam, ut integra solidaque Vladislao Jagielloni maneret, qui inventis a Casimiro facile, quidquid desiderabatur, addidit et in materiam optimam, ~~ca~~ sexaginta jam annis depositam, formam, quam voluit introduxit.* In hoc autem ego Divi Jagiellonis gloriam maximam pono, quod suae fundationi ita benedixerit Deus, ut his tribus saeculis vires ab ipsis vulneribus sumat Academia, alioqui paupere censu provisa et egestatem pro dote habens, quot non acerbos casus pertulit, deficiente mascula stirpe regia, quibus non est concussa calamitatibus, imo profunde demersa jam tertio a Clericis Societatis Jesu ad ostia tiberina fuit. Ex omnibus tamen istis tempestatibus tanquam nova Venus e maris fluctibus pulchrior vivaciorque evasit. Mihi profecto ingratitudinis accusandus ille videretur, si quis hanc secundam

secundam Academiae restaurationem non tam renovationem, quam germanam fundationem nuncupare nolit. Certiora siquidem in ecclesiasticis bonis per Vladislaum assignatis possidet minervalia, quam olim eadem percipiebat ex regio thesauro, qui cum ut luna mutatur jam integra, jam accisa, aliquando nulla reddebat, publicanorum praevertim fraude, professoribus praemia.

* Anno igitur currente cum dies D. Mariae Magdalenae sacer sole serenissimo illuxisset, jamque tum pridie, tum hoc ipso die maximus procerum et Regni Senatorum numerus Regem circumfunderet, mane intra horam octavam et nonam, signo dato in collegio Casimiritano, convenerunt rector et omnium facultatum decani cum ceteris dd. professoribus et studiosa juventute adeoque totum corpus Academiae. M. D. Rector, qui tunc erat Venerandus Cr Stanislaus de Scarbimiria, Decretorum Doctor, toga amictus talari, cui coccinea epomis holoserici villosi superinducta erat, praecedentibus bidellis, subsequentibus autem se decanis, doctoribus et per ordinem dd. professoribus in arcem Cracoviensem perrexit. Ad partem inferiorem arcis a regiis ministris atque aliis dd. professores humanissime excepti, in templum, ubi tum divinis S. R. M. aderat, deducti fuerunt. Sacro missae officio peracto in palatium itum est et senatus haberi coepit. M. D. Rector cum dd. professoribus in medio constitutus, paucis at exaggeratis verbis regiam clementiam, qua sua Majestas in promovenda Academia singulariter ferebatur, celebravit et mandata, si quae darentur cum non alio fine vocatus fuerit exce-pturum se plenis ulnis significabat. Mox Nicolaus de Curow, episc. vladisl. major regni cancellarius, quo tum Rex, ut ore suo, utebatur, longo sermone, quantopere S. R. M. Academiam ornatam vellet, exposuit, quam, cum ipsa gestaret in animo, cupere ut eadem diademati regni inseratur ac in fronte urbis hujus collocetur, decretum esse. Eam igitur esse voluntatem S. R. M., ut interim M. D. Rector et dd. professores domum Stephani Pancerz ad Regiam Majestatem jure optimo pertinentem, pro habitatione et lectionibus accipiant, ab omnibus oneribus immunem et liberam, in eaque omnia et singula pro usu et necessitate scholarium disponant ac ordinent, prout ipsis melius in Domino visum fuerit. Actis ingentibus S. R. M. Rector magnificus gratiis, quod lectam e concha in littore circumfluentis (: praeterlabentis :) Casimiriam Istulae, margaretham, urbe

velit inclusam, pollicitus est cum auxilio Dei futurum, ut inde pretium et ornamentum non urbi sed orbi sarmatico, imo Christiano, accederet inaestimabile, acceptaque venia a ducibus e senatu minore dd. professores ad possidendam rite domum sunt intromissi. Ingrediuntur postes herbis, floribus, frondibus, imo arboribus terrae defixis ornatos novus scilicet Apollo in Parnassum, mox iteram Regiam Loricam, quam liberam omnibus inquilinis per professores insidet eoque omnes suas cogitationes confert, ut triclinia in lectoria commutentur, proque mensis et abacis cathedrae et subsellia ponantur et inauguratio renovati studii generalis in Collegio Sermi Vladislai, Regis, quamprimum instituatur. *

* Transportatis igitur tumultuarie ex Casimiriensi Collegio cathedris, adornatisque atque dispositis per triclinia lectoriis ex communi consilio ad faustam et fortunatam studii generalis Cracoviensis renovationem incheandam dies decreta est feria secunda post festum proxime praecedentis d. Jacobi majoris, apostoli, ad quam S. R. M. Senatumque ac proceres Poloniae invitare placuit. Omnes igitur dd. professores suis distincti et ornati habitibus, pridie S. R. Mtem ad inceptionem antiqui studii generalis ~~Cracoviensis~~ in novo collegio suo regali demississime et officiosissime rogarunt, idemque fecerunt sequenti mane, facta aliis publica per ecclesias ex suggestibus et per valvas templorum die dominica praecedenti intimatione. Omnis illa, qua S. R. M. ex arce in plateam S. Annae deducebatur pompa in tres erat divisa ordines. Jam vero foribus, ubi nunc sunt stemmata saxo incisa, hi versus erant inscripti:

> Aetheream servate Deam, servabitis urbem
> Imperium secum transferet illa loci.
> Si mihi servitium video, dominumque paratum
> Tu mihi Libertas illa paterna vale. *

* Primum agmen constabat splendidissimo equitatu nobilium aulicorum equitum et militarium hominum, equis, armis, telis militaribus vesteque pretiosa splendentium. Medii ibant Academiae Rector et professores, stipatoribus regiis densissime latera septi. Tertius ordo senatus uterque, mysticus et secularis erat, in quo Regiae Majestatis Regni Mareschalcus viam dabat. Longe deinde

deinde ordo sequebatur principum, ducum, curialium officiorum,
senatus urbis et moesta civitas Casimiriensis moestum (sic) sub- i.
murmurans. Incolae urbis per tecta, speculas, turres, peristilia
suspensi, oculis, vultu, fronte, plausum publicum contestati, commu-
ni excipiebant venientem cum Academia S. R. M. * Et merito. Nam
si Constantini filio sponso novo acclamatum est: Χαιρε νεος φως,
novum id longe melius accinendum fuit Vladislao regi, qui Acade-
miae novum lumen, Sarmatiae novam lucem, Poloniae novum splen-
dorem, regno universo e longinquo situ Casimiritano in urbem
et orbem inferebat. (* Non ergo domus, non platea, sed nec forum ipsum
amplissimum comitatum regium capere poterat, unde omnibus
per plateas et apricum platearum in sole perdurantibus, S. R. M.
cum Senatu per professores in novum collegium deducta, concinen-
tibus symphoniacis hymnum solennem Veni Creator Spiritus de-
um tantisper oravit, donec episcopus Cracoviensis Petrus Colleita
solenni invocationem Spiritus Sti terminaret. Occupato au-
tem sibi extructo regali subsellio eadem S. R. Mtas privile-
gium generale novae suae erectionis per manus Nicolai de
Curow, regni cancellarii, episcopi vladislaviensis Rectori et
professoribus tradit. Magister Petrus de Radolina J. U. D.
nunc episcopus cracoviensis, ut qui olim professor nunc erat
cancellarius Academiae, lectionem primam legit. Ea finita gra-
tulatus est regi meritum apud Deum et perennem memoriam ex fun-
datione Academiae apud omnem posteritatem, nec desituram prius au-
guratus est, quam Regni virga, quod omen Deus auferat, frangeretur.
Nec enim, inquiebat, ille parcet coronae, qui sceptra academiae hujus
infregerit. * Finita omnium per Fiat! Fiat! acclamatione,
rex initium novae matriculae per insertionem nominis sui, quem
omnes praesentes tum senatores in hoc egregio facto secuti sunt, dedit,
facta promissione verbo regio rectori universitatis de promovendo bono
universitatis. Sceptra deinde cum diademate pro sigillo rectori, almae vero
universitati aquilam in clypeo, quem tiaratus praesul tenet, contulit. Stani-
slaus de Scarbimiria, rector, vir eloquentissimus, pro commissis acade-
miae privilegiis et beneficiis Regiam Majestatem coelo tenus extulit, in
custodiendis, servandis et defendendis pro se et suis successoribus
fidem publicam interposuit, nomine denique omnium gent-

gentium et populorum, qui causa studiorum ad academiam ventu-
ri essent, gratias immortales egit, Deoque omnis sapientiae
et scientiae datori humili deprecatione, Matrique semel,
semper autem Virgini, Dei genitrici, Mariae academiam
commendavit. His peractis Symphoniaci Te Deum lauda-
mus concinuerunt, eademque pompa in arcem regressus,
qua et progressus factus est, ubi omnes regali epulo sunt
excepti, litatumque est laetitiae in gratiam Minervae,* ex
eoque die collegium Smi Vladislai Regis Artistarum, quod sex
regii philosophiae professores primi illud occupaverint, dictum
est. Tenor autem privilegii erectionis hic est. /vide ad cal-
cem./

Aucti hac nova fundatione academici professores Jagelloni-
ci potissimum sex in teloneo Cracoviensi salariati, universam
artem philosophiae inter se partiti, auditoribus matutinis ho-
ris explicare coeperunt, circa vero meridiem et horas vesperta-
rum exercitia seu disputationes circa textum Aristotelis occur-
rentes ~~objicientes~~ resolventes. Hinc collegium Smi Regis Vladislai
artisticum a primis domus istius incolis nuncupatur. Alii
quoque ordines, imo tota academia, ne deficere in suis ordini-
bus, sed magis augmenta capere videretur, novam legum et
constitutionum reformationem instituit. Nam antiquis suis
statutis, quibus hucusque regebatur, alia quaedam recentia,
per quae concordia ac debitus ordo in omnibus servaretur
invitato ad partem laboris et sollicitudinis istius Rmo
Petro Wysch, olim suo doctore, nunc episcopo et cancellario,
ut esset testis oculatus, quam grata esset Universitas fundatori
beneficio, addidit et conscripsit, datusque est titulus libro.
„Iste est liber Statutorum Universitatis Almae Acade-
miae Cracoviensis 1400."

Hoc autem de clariori Academiae Cracoviensis hac restau-
ratione Dlugossii testimonium lib. X. suae historiae sub

sub anno 1400 exstat." „Coepit autem Studium generale Cracoviense per Vladislaum, Poloniae regem et Hedvigim, reginam fundatum et a summo pontifice Joanne XXIII confirmatum ex tunc in suppositis et variis scientiis, artibus et doctrinis vehementer florere et crescere et viros de genere polonico doctos, industrios et sensatos producere, polonicique regni famam et gloriam diffundere et dilatare, cujus etsi famae et gloriae plura propitia divinitate numerentur exstentque decora, nullum tamen reor polonico generi aeque magnificum ac necessarium, aeque foecundum ac utile, aeque gloriosum ac illustre pro confutandis opprimendisque haeresibus et erroribus, pro serendis virtutibus, pro eliminandis vitiis, pro defendenda justitia, pro illustranda virtute. Quod etsi dudum per Casimirum secundum Poloniae regem orditum fuerat et collegium muro in Casimiria erectum, non tamen ita consumatum fuit."

Rectore Illmo Principe Joanne Duce Drogicinensi, custode et canonico cathedralis ecclesiae Cracoviensis, decretorum doctore, annus jubilaei, qui Romae ipso 1400, in Polonia hoc praesenti ex concessione Bonifacii IX summi pontificis, fuit celebratus. 1401.

Ferventibus autem aliarum Facultatum Studiorum initiis, theologi pro stipendio 100 marcas, quod ex fisco regio hactenus percipiebant, quo certiores suorum salariorum essent super ecclesiasticis beneficiis, quae erant juris patronatus regii, fundati sunt. Rex enim omnes praelaturas seu praebendas et canonicatus, excepto interim praeposito et custode, ad S{tum} Florianum, theologis academiae Cracoviensis pro dote assignavit et distribuendas inter professores episcopo Cracoviensi cum aliis demandavit. Praeterea duos canonicatus in ecclesia cathedrali Cracoviensi, alterum fundi Lethowice, pro theologo, alterum fundi Karniovii, pro Jurisconsulto in universitatem jus conferendi transtulit. Ultra hoc etiam parochialem S{ti} Andreae in Jlkus, collationis suae Academiae donavit.

Petrus quoque Wysch, episcopus Cracoviensis, duas praebendas, alteram basilicae S^ti^ Adalberti in foro Cracoviensi, alteram S. Mariae Magdalenae in platea Castrensi et parochiam in Luborzyca Universitati incorporavit. Ex eo tempore praedicta beneficia, quae antea solo presbyterii titulo sacerdotes tenebant, nunc duplicato, aut triplicato onere academici supportant, nam et in ecclesia divinis operari, ut olim canonici praebendarii et plebani operari et in cathedris ut professores, scientias profiteri debent. Rara fuit, est, aut erit gratuita in viros literatos liberalitas. Imitantur hujusmodi academiarum fundatores illos, qui ex una fidelia duos parietes dealbant. Unde professores ad plura officia, aliquando incompatibilia distractiones ad summum in scientiis, nisi forte rari; alii dum libris inhiant eorum beneficia ex neglectu damna in proventibus et fortassis in divinis officiis ac templis patiuntur.

Tenor donationis regiae sequitur et est talis. /. Vide ad calcem

1402. Anno 1402 successor Nono Drogiuinensi duci, Decretorum doctori, Academiae Rectori, per electionem canonicam datus est Venerandus vir Nicolaus de Gorskow, decretorum doctor, officialis cracoviensis, qui postea tertius in ordine creatus fuerat episcopus vilnensis.

Rex tum Vladislaus nuptias cum Anna, Vilhelmi, Ciliae Comitis, filia, nepte vero Casimiri Magni solenni pompa celebravit, coronationis Annae diem celebrem reddidit frequentia plurimorum principum, quorum in gratiam tornsamentorum et gymnici ludi in foro cracoviensi erant exhibiti. At Vladislaus se ipso major evasit cum regnum Hungariae, quod tunc erat Sigismundi legitima ratione conjugis Mariae idem possidentis, magno nomine repudiavit. neminem, inquiens, ad legatos, fore adeo dementem, qui se implicatum vellet iis vinculorum nodis, quibus alium innexum videret. Quo sapienti responso et pudorem subditis Sigismundi injecit, propter violatum jusjurandum in regem suum, et Sigismundum aliqui sibi ingratum e carcere in libertatem vendicavit.

Interea Academiae promovendae non immemor, apud Bonifacium IX diploma impetrat, ut monachis Cisterciensibus Polonis non alibi, quam in academia Cracoviensi studia theologica tractare liceat, non obstantibus quibuscunque ordinis Cisterciensium constitutionibus.

Aemulati sunt hunc sapientissimi Regis et pientissimi praesulis Petri de Radolina in promovendo bono Universitatis zelum privati quoque professores. M. enim Joannes Isnerus, S. T. D. proprio aere comparata medietate villae Trzdnowice ad altare S. Bartholomaei sub organo in arce Cracoviensi, super eadem fundavit unum professorem, qui cum regalibus in eadem domo Ser.mi Principis Vladislai Artistarum omnia communia habens et sacrum missae sacrificium statis diebus celebraret, et ad unam lectionem sive per se, sive per alium legendam in philosophia vel theologia teneretur.

Rectore Ottone, scholastico Cracoviensi, decretorum doctore, alma universitas domum pro Collegio DD. Jureconsultorum, qui tunc adhuc in collegio Casimiritano sedes suas retinebant, in platea castrensi dicta a Rmo D. Joanne de Brzezów 700 marcis latorum grossorum pragensium emit. Emptionis et confirmationis Regiae copiae sunt istae, quae in obversa pagina videri possunt. / Vide ad calcem 1403.

Rectoratum gerente Joanne Saffrancio Vladislaus rex, cum Cruciferis in Raciąż compositionem amicabilem facit, totam Samogitiam illis concedendo, Dobrynensem vero terram quadraginta millibus florenorum redimendo, iniquis sane conditionibus pax, quam belli incommoda esset eligibilior. Vratislaviae quoque cum Venceslao caesare conventum personalem habebat, in quo Venceslaus tota Silesia Regi cedere volebat, ea conditione, ut pro qualibet expeditione bellica Regis Bohemiae quadringenti Poloni obsequia praestarent. Indigna visa est proceribus Sarmatis hujusmodi praestatio ac proinde consilium regis de recuperanda Silesia dissiparunt, ostendentes alia etiam ratione posse membrum Poloniae Silesiam ad integritatem corpo-

corporis jure et justis armis absque ulla indecora obligatione redire. Ad redimendam Dobrinensem terram indictio per Poloniam 12 grossorum ex lanco imperata, attulit summam centum millium florenorum, ex qua, persolutis quadraginta millibus florenorum Magistro Ordinis, reliquum in usus regios cessit.

Bonifacius IX in vaticano Kalendis Octobris moritur, qui primus Romanorum pontificum post reditum sedis apostolicae ex Gallia, summum imperium urbis, civibus se dedentibus, obtinuit. Molem Adriani, instar arcis, et Capitolium munivit, pontificum ditionem stabilivit, majestatem nutantem confirmavit, ecclesiae Romanae patrimonium tyrannorum vi amissum recuperavit, palatium Vaticanum, quod nunc superest, perpetuae pontificum sedi inchoavit. Sedit annos quindecim.

Onuphrius Panvinius, Veronensis, in vitis XXVII pontificum Romanorum post mortem Bonifacii immediate ponit tres per ordinem pontifices Innocentium VII, Gregorium XII, Romae in Vaticano electos et coronatos, Alexandrum V. qui Pisis in concilio fuerit electus, idque anno 1410. Quamobrem hoc loci confirmationem hanc Jagiellonicae Universitatis ponendam censui. Neque enim in re tam gravi et seria error aliquis in scribendo numero obrepere potuit. Hujus confirmationis copias antiquo charactere scriptas obversa pagina monstrabit. /25. de ad eatem

1404. Praesenti quoque anno accessit altera pars villae dictae Trzdnowice ad academiae Cracoviensis possessionem. Praememoratus enim M. Rector, haeres dictae villae, alterum altaristam altaris S. Bartholomaei, secundi ministerii super parte Trzdnowice sine praedio fundavit et professori uni ex Academia incorporavit, ut habetur in libro privilegiorum Academiae, folio, si me non fallit memoria decimo sexto.

1405. Joannes de Rzeszów, praepositus S. Michaelis in arce Cracoviensi, qui anno nuper elapso primus inter Regis Commissarios cum Cruciferis apud Racias fuit, hoc anno rectoratum academiae sustinuit, quocum Magister Prussiae multoties agens, facile impetravit, ut coloniam academicam in culmensem civitatem deduceret. In reditu ergo suo, cum supremus esset factus rerum

rerum Academiae arbiter, Universitate consulta et conveniente ad fundandam illam novam in Prussia coloniam tres professores submisit, quae diu duravit, sed variantibus temporibus varias vicissitudines sustinuit, ut infra patebit.

Porro pro augmento majori Universitatis ad salariandos ordinarios professores theologiae, juris et medicinae, emptus est census seu potius mons in salisfodinis Bochnensibus, dictus Bergracht a Nicolao Bochner per Rectorem et Magistros Venerabiles sexingentis octuaginta octo marcis grossorum bohemicalium ut legere poteris f. ad calcem

Nicolao Peiler S. T. B. in supremo magistratu Academiae existente, altare S. Alexii a Nowkone, professore Academiae fundatum, professioni academicae est incorporatum. Habebat censum altarista et professor ex lapidea aciali e regione templi S. Mariae Magdalenae jacente dicta servi Captus, quam V. Capitulum Cracoviense ab Universitate obtinuit per commutationem collato jure patronatus Universitati ad parochiam Zielonecensem. unde honestam provisionem habet, potestque in philosophia vel theologia praelegere. 1406.

Rectore Nicolao Creisewicz S. T. D. cum Petrus Wysch episcopus et cancellarius Academiae continuis regni legationibus et ? religionis ~~rectoris~~ negotiis distraheretur, dat literas certis personis eidemque committit, ut cum rectore et decanis disponantur et ordinentur melius professiones theologiae super beneficiis S. Floriani. Septennii enim et a tempore, ex quo coaequatio beneficiorum ecclesiae S. Floriani Magistris et Doctoribus per Sereniss. Vladislaum, Poloniae regem, incorporatorum facta est, exortum est magnum murmur et querela inter doctores et magistros, primos St. Floriani praelatos et canonicos, eo, quod tenui corpore et dote eorum beneficia post exaequationem viginti scilicet tantummodo marcis essent provisi censuque tam languido, sub quo lectionum et beneficiorum cogebantur portare et implere onus, plurimum gravarentur. Pientissimus ergo praesul Petrus de Radolina, episcopus cracoviensis, eorum querelis stimulatus, data commissione et negotio Joanni Safrancio, custodi et vicario in spiritualibus et temporalibus episcopatus cracoviensis et Ottoni, scholastico cracoviensi, ut qualificatione rei diligentius inspe- 1407. ?

1407 ita, quod e religionis et ecclesiae S. Floriani et universitatis profectu esset provideretur, mandavit. Quorum decreto etiam in scriptum redacto, vetus ordinatio in totum abrogata est, et nova sub his conditionibus et capitulis instituta, ut videlicet quilibet magister et doctor in ecclesia Sti Floriani beneficiatus, triginta marcas communis pecuniae, annis singulis percipiat, sexdecim videlicet pro corpore, ita ut dentur cuilibet quatuor marcae pro quatuor temporibus, si tamen lectiones eum concernentes actu expleverit, et quatuordecim marcae pro refectionibus, si tamen singulis diebus dominicis ecclesiam Sti Floriani personaliter visitaverit, ita ut cuilibet visitanti pro qualibet die dominica solvatur, aut absenti defalcetur ferto, nisi forte aliquis aegritudine, senio, praedicatione, aut aëris intemperie, aut aliquo alio legitimo impedimento impediatur. Item ut ratione trium cancellariarum, videlicet siradiensis, lanciciensis et posnaniensis, eidem ecclesiae Sti Floriani incorporatarum, tres constituantur in eadem Sti Floriani ecclesia cancellarii seu beneficiati sub qualificatione praescripta, et ipsorum quilibet pro corpore et refectionibus triginta marcas, si tamen pecuniarum facultas suppeteret, habituri, non tamen primo ad perceptionem illorum admittendi, sed contenti debent esse collegiaturis prioribus, nisi per prius summa debita et neglecta antiquis beneficiatis fuerit persoluta, caverique maxime debet, ne creatio novorum beneficiatorum veteres in suis fructibus et censibus quomodolibet impediat. Universis autem magistris et doctoribus ad ecclesiam Sti Floriani sive ad prisca, sive ad nova beneficia promotis et promovendis, injungitur necessitas, ut in ea facultate, ad quam fuerint promoti, diligenti studio lectiones, ad quas obligantur, expleant. Decano autem Sti Floriani, ad quem regimen bonorum ecclesiam Sti Floriani concernentium in temporalibus et distributio pecuniarum in singulos beneficiatos et coercitio in negligentes et remissos committitur, pro quo labore et cura sex marcae illi ultra caeteros adjiciuntur. Item si aliqua summa ex proventibus praefatis, solutis beneficiatis per prius et expeditis, resultaverit, in fiscum communem redigenda est et pro refectione, constructi-

construtione et qualibet sti Floriani necessitate incumbente le- 1407.
gitima et urgenti necessitate convertenda, qua difficultate et
eulesiae sti Floriani necessitate incumbente, tenebuntur benefici-
ati, de suis proventibus, introitibus ejus supplere structuras,
aedificia et singulas necessitates. Decernitur insuper, ut si ultra
omnia praemissa, summa viginti marcarum annuatim ex pro-
ventibus praefatis resultaverit, extunc provisio ex hujusmodi
summa magistro vel doctori immediate promovendo unam mar-
cam singulis quatuor temporibus largiatur. Si quis vero hujusmo-
di constitutionis temerarius transgressor repertus fuerit, senten-
tia excommunicationis percellitur (sic), quam si primo, secundo
et tertio admonitus, contumaciter pertulerit, facultas privan-
di et spoliandi eum beneficio decernitur, committitur et reser-
vatur Ordinario pro tempore existenti.

Ordinatio supra scripta auctoritatis etiam ordinariae rati-
ficata decreto, etsi in plerisque articulis et conditionibus observa-
tur illaesa, in pluribus tamen constat illam temeratam esse. Pri-
mi enim doctores et magistri eulesiae sti Floriani beneficiati, receptis
ab illustri femina, consorte Joannis Mansik (sic) de Dambrowa,
palatini leopoliensis, quae erat de familia et domo Pomiensciorum, du-
centis marcis latorum grossorum pragensium, ut duodecim marcis census
annui perpetui, quibus unus collegiatus in universitate cracoviensi in ar-
tibus laboraturus salariaretur, coëmeretur. Ejus proposito et voluntate
neglecta, praefatas ducentas marcas latorum grossorum pragensium
diviserunt inter se et omne illud, quod publicae utilitati demanda-
tum fuit, privatis usibus applicuerunt, Eulesiam vero sti Floria-
ni vel potius Universitatem cracoviensem fecerunt pro hujusmodi
collegiato, illicite tamen et injuste tributariam et censum duodecim
marcarum pro annis singulis eidem ex communibus proventibus S. Flo-
riani deputarunt. In qua re universitas Cracoviensis notabiliter
gravata, praefata vero spectabilis et devota femina Mazikowska
(sic) suo voto fraudata est, gravamen tam enorme perferens.

Canonicatus autem novi sti Floriani ita ordinati sunt. Primus
ex cancellaria siradiensi accipit triginta marcas ex proventibus com-
munibus. Non habet vicarium. Alter ex cancellaria lanciciensi totidem
perciperet. Caret vicario. Tertius ex cancellaria posnaniensi pro ipso

1407. onem accipiet ab episcopo posnaniensi. Item collegiaturae D. Mazikowiscae et ejus collegiato pro tempore existenti solvuntur duodecim marcae communis pecuniae ex communibus proventibus ecclesiae Sti Floriani. Haec tamen solutio duodecim marcarum dictae collegiaturae per injuriam introducta est nec ad eam Universitas capitulum (sic) obligatur, et cum suo publico gravamine illam solvit, cum praefata domina ad emendum censum pro suo collegiato ducentas marcas latorum grossorum dederit, quae a magistris et doctoribus primis beneficiatis Sti Floriani in privatos usus fuere conversae.

Hoc etiam anno Nicolaus Vigandi S. T. D. et Nicolaus Peiler S. T. B. a summo pontifice dati fuerunt judices ad cognoscendam causam inter plebanum et cives leopolienses ex una et archiepiscopum haliciensem partibus ex altera, ratione decimarum.

1408. Rector universitatis Andreas de Kokoryno funestum incendium templi Stae Annae spectavit et collegium Srmi principis Vladislai a favilla vix defendit. Causam dederat huic malo gens recutita. Monetarii enim eorum, falsa cusione monetae, probam regiam a populo rudi et fraudis ignaro permutabant, sibi lucra aliis damna inferentes. Deprehensus in facinore eorum antesignanus judicatus et ad flammas condemnatus est. Non ideo tamen plebs christiana satisfactum sibi existimabat, quae jacturam fortunarum suarum unius morte nequaquam reparari posse videbat. Premebat igitur alto corde dolorem et vindictae commoditatem expectabat. Accessit igitur brevi post homicidium, quod Judaei crawi in christiano infante exercuerunt. Cujus atrocitatem cum Joannes Budek pro suggestu templi dum exaggerat, plebs templo effusa in domos Judaeorum irruit, sontium aeque ac insontium sanguinem pro infantis sanguine fundit, igne domos tanquam falsariorum monetae succendit, quo etiam ecclesia Stae Annae vicina collegio academico correpta est. Sedato populi furore caedes et strages Hebraeorum cessavit, quorum plurimi ad templa nostra fugientes sacrum baptisma sibi conferri petierunt.

1409. In rectoratu magistri Eliae de Vindelscia s. l. b. rex Vladislaus inter curas de pace Lithuaniae cum Cruciferis componenda, quibus maximopere distinebatur novisque injuriis ab Ulrico Juningen, magistro teutonici ordinis afficiebatur, Lucina favente prolem ex Anna consorte femineam suscepit, cui nomen Hedvigis

Hedvigis ex fonte Petrus Wysch, anno superiore post Pascha imposuit, 1409 ipse vero ex voto peregrinationem Hierosolymitanam ineunte praesenti anno inchoavit. Volens autem unioni ecclesiae, quae tum schismate duorum pontificum maxime laborabat, consulere, Pisas ad concilium descendit, in quo, teste Dlugosso, pro honore Dei et regni Poloniae et pro tollendo schismate stetit, faciens sumptus magnificos et liberales. Venerant etiam per suos notabiles procuratores ad praesens concilium Albertus Pomaniensis, Jacobus Ploccensis, Vincentius Vratislaviensis, Arnaldus Culmensis episcopi et universitas alma Cracoviensis. Deposito igitur utroque de papatu contendente, Gregorio XII et Benedicto, pro unienda ecclesia Dei Petrus de Candia natione Graecus, cui Alexandri V nomen impositum erat electus est. Pro unione major scissio in ecclesia ex hoc concilio prodiit, tribus se pro summis pontificibus gerentibus, usque ad tempora Martini V. Petrus decem mensibus sedit, accepit successorem Joannem XXI dictum XXIII papam Neapolitanum.

Accepit et aliud non leve vulnus tunc ecclesia Dei. Joannes enim Huss, professor academiae pragensis, ut fuit vir popularis, aemulatione contra Alemannos professores ductus, late Viclephi, angli, errores per Bohemos sparsit, gentem ad res novandas natam. Academia vero Cracoviensis omnes errores et haereses exosa, ut fidem illibatam Deo et Stae Matri Ecclesiae servaret, inde usque neminem in numerum suorum et album studiosorum recipere instituit, nisi qui prius omnes haereses, specialiter autem Joannis Hus et Hieronymi Pragensis, abjuraret, benedixitque Deus progressibus ejus. Nam ut pragensis lapsa est, ita haec longe lateque philacteria sua dilatendit. Ea enim frequentia confluebat undique studiosa juventus, ut praeter scholarum parochialium et apud cives diversoria, necessum esset pro pauperibus domum amplissimam et pro divitibus alteram comparare. Quod onus in se ultro recepit vir nunquam sine laude commemorandus Joannes Isner S. S. D. Hic enim impetrato apud regem ad senatum cracoviensem mandato, domos duas amplissimas, alteram vicinam collegio majori pro divitibus, post cujus deflagrationem postea collegium minus in eadem erectum est, alteram in platea Vitulae pro contubernio pauperum coemit, illasque tanquam provisor, quoad vixit, felicis-

1409. sime gubernavit. Emptionis domus pro contubernio divitum habere non potui. Copiae literarum pro contubernio pauperum emptionis istae sunt, quae sequuntur. /. Vide ad calcem
De domo divitum leges in vita Joannis Dlugossii, in qua ipse educatus est. Quae leges illius fuerint, quis status, illi docere possunt, qui ad archivum academicum accedunt.

1410. Cum Nicolaus de Koztow rectorem agit, Nicolaus Tramba, praepositus Sti Floriani praestito solenni juramento, nomen suum albo universitatis inscribendum dedit, vir generosus, multis et excelsis virtutibus ornatus, regni Poloniae procancellarius, inglorium sibi fore duxit, si ad mitras pontificias, immo in concilio basileensi ad summum sacerdotii non e gremio academiae matris vocaretur. Hic primo haliciensi metropolitanae, nondum enim Leopolim sedes translata erat, mox ad gnesnensem archiepiscopatum translatus est. Commendat illum Joannes Dlugossus a singulari pietate in omnes, ab innata mansuetudine, a munificentia in omnes egenos, quae virtutes illum ceteris adeo amabilem reddiderunt, ut dignus clavibus Petri judicatus fuerit.
Hoc quoque rectore academiae et anno, coelitus regi humili obtigit victoria grinvaldensis, longe gloriosissima de superbissimo hoste. Quadraginta millia caesi exercitus Cruciferorum numerabantur, quam fusissime describit Longinus et Paprocius. Exterminati plane fuissent Cruciferi ex tota Prussia, si Rex Mariaeburgum obsedisset, nam ipse magister Henricus de Plauen se quindecim dierum obsidionem nunquam sustinere potuisse fatebatur. Culpam plerique historicorum in consilia senatorum rejiciunt, qui ne Vitoldi et Regis indignationem incurrerent, pacem et ejus conditiones parum honestas utrique cum Cruciferis persuaserunt. Nuncios hujus victoriae tres praecipuos ad archiepiscopum gnesnensem, ad custodes arcis cracoviensis et ad universitatem statim ex acie missit. Trophaeo vero in fidem victoriae, hoc est vexillo episcopi Pomesaniae, icone B. Joannis Baptistae formata, per Moramiecz, nobilem Polonum, in urbem illata, universi cives laudes Deo, triumphum Regi, ignibus, theatris, explosione tormentorum, toto triduo egerunt.

1411. Sceptra academiae administrante Luca de Magna Cosmin s. t. b. duo professores academiae Otto, decanus, et Joannes, scholasticus cracoviensis, cathedralis cracoviensis, uterque olim rectoratu exacto academiae a s. Sede Apostolica definitores omnium controversiarum et litium in regno Poloniae sunt instituti. Optanda his temporibus non speranda regni conditio, ne lites Romae cum tot et tantis impensis trahantur. – Inter manuscripta descriptiones factae a Musis Heliconis acade-

academici triumphi regii de Cruciferis relati, hoc anno vulgatae fuisse reperiuntur. 1411.

Nicolaus Hinconis de Casimiria rector, Epithalamium Ernesto, duci Austriae cum Cymbarca, ducis Masoviae filia, Vladislai vero regis ex sorore nepte, poëtas et Musas academicas concinere jussit. Ex hoc enim felici connubio multi Austriaci imperatores, potissimum Fridericus, qui Romanum imperium annis pluribus felicissime gubernavit, editus est. 1412.

Sub hoc tempus rex Jagiello a Sigismundo,[x] quem e vinculis Hungarorum liberaverat, ad foedera et foederis iuti pacta injuriosa confirmanda in Hungariam ad civitatem Cassoviam discessit, simplex columba, ab astutissima vulpe decepta est. Sed non Rex regum et dominus dominantium, qui circumventum regem ex omnibus insidiis Sigismundi, regis Hungariae, ac postea imperatoris Romanorum, liberavit.

x verbum decid

Petrus Wysch XVI aprilis, propria sede, episcopatu cracoviensi, quam viginti annis sanctissime tenuerat per Joannem XXIII ad regis instantiam, quod esset lethargicus, exemptus in posnaniensem est translatus, in qua cum annis vix duobus sedisset, senio et laboribus fractus, fatis absumptus est. Rex ad infirmi lectum accedens et culpam confitens, petiit sibi ab eo indulgeri. Tum ille: tibi, inquit, rex inclyte, omnem offensam indulgeo, cum non suapte vi, sed instinctu ambitionis alienae, Albertum Jastrzebcium innuens, ad meam dejectionem pertractus fueris. Eum tamen, qui me dejecit, in judicium divinum justum voco. Dictum factum. Nam Joannes XXIII in concilio constantiensi suprema sede dejectus est; immo vita jam functo Visso, concilium constantiense, quodam episcopo Anglicano instigante, diem Alberto Jastrzebcio dixerat ad deponendum se (sic) et privandum episcopatu cracoviensi, ni rex, ut ab hac causa supersederetur, impetrasset. Contigit Petro justa poena. Nam post mortem Joannis Radlica, Setegius Chmielecius a collegio canonicorum successor designatus erat. Regina tamen Hedwigi annitente, ille rejectus, hic ad episcopatum promotus fuerat. Sed et ii, qui ad sui dejectionem concurrerant, per quae peccarunt, per eadem puniti sunt.

Petro Wisso successit Albertus Jastrzebcius in episcopatu et cancellariatu academiae cracoviensis.

Stanislaus de Skarbimiria secundo rector universitatis ad concilium constantiense a Joanne XXIII, suasu Sigismundi imperatoris indictum, quinque professores[+] de gremio universitatis expedivit ad fidei S. Catholicae dogmata propugnanda, haereses confutandas, auctoritatem S. Sedis Romanae defenden- 1413.

[+] quorum nomina descriptio concilii basiliensis (sic) haec enumerat: Petrus Kawiski (vi non Caliski), Vilhelmus Sulebri uterque S. Paginae magistri. Hinera de Ronkalin, Martinus Canon. Cracov. baccalaureus Canonum. Paulus Kaliski licenciatus in utroque jure. (conf. pag. seq. in fine).

1413. dam. Rector anni superioris, in concilio constantiensi fuit orator. Rex autem Vladislaus in Russiam proficiscens, apud Horodlo, supra Bugum amnem, Polonorum et Lithuanorum conventum habuit, in quo pacis et unionis aeternae inter duas has gentes foedera sanxit. Eo tempore concessit Lituanis jus nobilitatis, iis duntaxat, qui ritus Ecclesiae Romanae servarent, senatum et magistratus more Polonorum haberent. Ordo item ecclesiasticus eodem jure et praerogativis, quibus in Polonia uteretur. Haec omnia proceres Lituani, libertatem et praerogativas nobilitatis adepti, approbarunt et literarum monumentis consignarunt.

Inde rex in Samogitiam profectus, gentem illam, quae nondum fidei lumen receperat, magno studio magnaque cura ad religionem catholicam, doctoris magni et apostoli muniis perfunctus convertit. Quo in opere singulari ministerio magistri Nicolai Wasrik, fratris ordinis praedicatorum adjutus est. Tum primum Samogitis episcopum in civitate Mednicensi dedit, attributis agris et reditibus et paraeciis XII, ut earum rectores canonici simul essent mednicenses. Ita pestis, quae tum per Poloniam saeviebat et plurimos mortalium sustulit salutem Samogitis aeternam attulit.

?

1414. Rectore Paulo de Vladimiria, custode cracoviensi, decretorum doctore, magister Petrus (de) Volfram, licentiatus in decretis, Zawissius de Garbow cum ipso universitatis cracoviensis rectore, nomine regis Vladislai apud Sigismundum imperatorem in causa contra Cruciferos legationem obivere. Quo tempore etiam celebratum fuit concilium constantiense in Germania, in quo Nicolaus Tramba, archiepiscopus gnesnensis, Joannes wladislaviensis, Jacobus plocensis et Andreas Laskarus posnaniensis episcopi praesentes adfuere. Coactum vero concilium fuerat contra schisma trium summorum pontificum Joannis XXIII, qui Bononiae, Gregorii XII, qui Arimini et Benedicti XIII, qui in Hispania mansit. Ejusdem concilii auctoritate, Bohemorum haeresis damnata est et Joannes Hus ac Hieronymus Pragensis, auctores, decreto synodi combusti sunt.

c f Dlugosz I, 348.

Ad concilium constantiense nomine Universitatis quinque viri delegati fuerunt, quorum nomina sunt ista, ut habet descriptio concilii Constantiensis germanica. Petrus Kawiski, Wilhelmus Salebri, magistri et doctores in sacra pagina. Hinera de Ronkalin, Martinus canon. cracov. baccalaureus in canonico jure. Paulus Kaliski, licentiatus in utroque jure. Locum tenuerunt ante oratores academiae Oxoniensis. Diversoriis ipsorum praefixum erat stemma aquilae albae

albae coronatae diademate, expansis alis. (conf. sup. pag. ad calcem.) 1414.

Idem rector Paulus de Vladimiria fuit et vicaria alterius opera 1415. usus, donec ipse ex legatione ad concilium constantiense, ~~in quo~~ locum habuit post oratorem academiae bononiensis ut habetur in Actis concilii 1416, rediret, usus est. Boszczynae villae pars a Beata dimitti ?? universitati data est ratione laborum in disputationibus sabbatinis perferendorum. Hanc universitas collegio Smi Principis Vladislai Artistarum addixit, eo, quod alii se disputationibus intricari noluerint. Hinc nullus, exceptis doctoribus, in collegio, a disputationibus est liber, qui de fructibus Boscinensibus participat.

Eclypsis solis hoc anno feria sexta post octavas Corporis Christi tanta accidit, ut alites oborta subita caligine in terram laberentur, stellaeque non aliter quam nocte sublustri conspiciebantur (sic).

Joannes XXIII ex concilio constanciensi se subducit. De via retractus, causam dicere jussus, de sede Romana depositus est, actaque ejus omnia reprobata. Cui suae dejectioni postea libere consensit? non multo post nimia aegritudine confectus, Florentiae decessit.

Nicolaus Bandiszyn, rector fuerat quo tempore in concilio 1416. constantiensi satyra seu famosus libellus in Regem et Regnum Poloniae a Joanne Falkenbergio conscriptus, per universitatem Parisiensem oratoribus nostris indicatus, cura Patrum concilii in foro constantiensi exustus est, et in auctorem animadversum.

Mense Martio Anna regina, secunda uxor Vladislai diem obiit ultimam, qua in cathedrali Cracoviensi honorifice tumulata. Tertiam rex uxorem Sanoci Elisabetham Pileciam, Ottonis Granowski, palatini quondam Sendomiriensis filiam, provectae jam aetatis viduam, duxit, quam Cracoviae a Joanne Rzesovio, archiepiscopo leopoliensi, contra voluntatem senatus coronari fecit. Qua de causa Nicolaus Tramba, archiep. gnesnen. in concilio constantiensi manens, jus primatis regni sibi a concilio deferri impetravit, ne posthac jus reges et reginas coronandi sibi surriperetur.

Nicolaus Scultetus de Conradi Sylva, gymnasii habenas tractavit. 1417. Refert Dlugossus sub indice hujus anni Magistrum Andream de Kokoryno, nomine regis ad concilium constantiense legatum ivisse pro impetranda dispensatione, ut liceret sibi in contracto cum Elisabetha non obstante affinitate spirituali, erat enim illius soror spiritualis, permanere. Multis laboribus nec sine difficultate magna vix tandem hujusmodi approbatio per praedictum legatum obtenta fuit.

1417. Abrogatis Joanne XXIII, Gregorio et Benedicto a summa Petri sede, quod in dubio nullus eorum esset papa, 11 novembris cardinales praesentes in concilio conclave ingressi Odonem de Columna, romanum, cardinalem S. Gregorii in legitimum romanum pontificem elegerunt, qui Martinus V nominatus est.

Rex accepti per victoriam Cruciferorum beneficii memor, quae illi die divisionis apostolorum evenerat ecclesiam Chelmensem in episcopatum erigit. Idemque facit in Russiae metropoli Kijovia, cui primum episcopum Andream Cracoviensem, virum doctrina et virtutibus insignem praeficit. Hic dicitur obtinuisse ab Ivano, kijoviensium principe ingentem portionem crucis, in qua salus mundi pependit, quam Lublini patribus S. Ordinis Praedicatorum in ecclesia S. Stanislai tradidit et reliquit.

1418. M. Joannes de Falkow, rector, accepto nuncio, quod omnia acta Joannis XXIII essent reprobata, non mediocriter cum universitate tota fuit perturbatus; Omnia enim sua privilegia a rege Vladislao data, per eundem fuerunt confirmata. Quare decretum est, ut eadem per Martinum V canonice electum confirmarentur.

1419. M. Fulco alias Pelce de Borykow prima commutatione (univ. rector) sequenti alter (vide inferius).

Elisabeth regina, tertia Vladislai Jagiellonis uxor, defuncta est. Ejus corpus in sacello mansionariorum ecclesiae cathedralis cracoviensis depositum quiescit.

Universitas pragensis ab Hussitis violatur et disturbatur. Martinus V omnia privilegia universitatis cracoviensis confirmat. Delegatum suum Albertum Jastrzębiec, episcopum cracoviensem et cancellarium ad ordinanda judicia et beneficia academica constituit, quam (sic) habes supra antiquo charactere scriptum, sed haec primum 1422 est facta.

(Commutatione aestivali fuit rector universitatis) Magister Joannes Kro, med. doctor.

1420. M. Jacobus de Nova Sandecz, rector praefuit universitati, quo praesidente fundus Grammaticalis, alias Królewska Wola pro altari S. Donati emitur et professori incorporatur.

1420. M. Jacobus de Zaborow (decr. doct. univ. rector).

1421. Nicolaus Goldberg, rector academicae frequentissimam habuit juventutem.

Bohemi a Sigismundo imperatore deficientes, multis, ut ferebant et gravissimis causis, regnum Bohemiae per legatos Vladislao Jagielloni deferebant. Ad quos ille, se nullius externi diadematis cupidum esse, regni Poloniae longe lateque protensis finibus contentum esse, respondit. Vitoldus illud non respuebat, si se judicio ecclesiae universalis catholicae subjicere

vellent. Quae conditio cum illis non placeret, infectis rebus ex Polonia do- 1421.
mum sunt reversi.

M. Thoma de Chrobeiz, altera commutatione supremum academiae magistratum gessit. Quo tempore Hedvigis, filia Jagiellonis, Friderico marchioni brandeburgensi, infans infanti desponsata fuit.

Serenissimus princeps Alexander, dux Masoviae, regis Vladislai 1422
ex sorore nepos, sceptrum academiae tenuit, quo urgente maxime et promovente ordinatio praebendarum et academicorum beneficiorum incorporatorum, nec non judiciorum in causis beneficialibus est facta per Albertum Jastrzebiecz, sedis apostolicae delegatum. Venerabili autem viro magistro Heliae de Vindelicia s. th. professori, ecclesiae collegiatae sendomiriensis decano rex Vladislaus Fridericum, brandeburgicum electorem, Hedvigis filiolae sponsum futurum autem generum suum tunc octennem, in spem regni scientiis et juribus polonis instituendum tradidit. moribus?

Hoc quoque tempore et magistratu, facta est ordinatio vicariorum ecclesiae collegiatae s. Floriani per Albertum Jastrzebiec, episcop. cracov. et Sbigneum de Olesnica, praepositum ejusdem ecclesiae.

Rex Vladislaus inconsulto senatu ad quartum votum nuptiale cum Sophia, Andreae, ducis Kijoviensis filia, dispari aetate ac sine dote Vitoldo adnitente, cujus sororis filia erat, accepit, nequicquam Poloniae ? ordinibus. Cujus coronatio in alterum annum eam ob rem dilata fuit.

1423.

Sigismundus Piser in gymnasiarcham electus fuit.

Mortuo Nicolao Tramba, archiepiscopo gnesnensi, de quo sic Janicius:

Hunc fieri papam voluit Constantia, rari,
munifici, placidi, mota favore viri
Metropoles uno ille duas accepit in anno
Dignus fortunae prosperitate suae.

Albertus Jastrzebecius designatione regia in sedem metropolitanam translatus est, Sbigneus vero Olesnicki in episcopatu cracoviensi successit, qui ducatum Severiensem, quem Academici a duce Tesinensi 6^{m} emere noluerant, pro ecclesia cracoviensi comparavit.

M. Matthias de Coto, juris licentiatus, commutatione hyberna imperium literarium moderabatur.

Ad coronationem Sophiae, consortis Vladislai, rex Daniae, imperator Sigismundus cum imperatrice, magno comitatu venerant Cracoviam, quae initio sequentis anni felicissime est absoluta. In hoc conventu regum id unum agebatur, ut repudiato Brandeburgico, Hedvigis filiolae Vladislai, sponso, duci Stolpensi desponsaretur. Rex ad Vitoldi beneplacitum suam responsionem rejecit. Iste vero pluris fidem, quam accessionem Pomeraniae ad regnum faciens, legatis et eorum regibus respondit, fieri non posse, ut fides semel data per verbum Jagiellonianum, cuiquam, etiam hosti maximo non servetur.

M. Joannes, canonicus s. Floriani regimen academiae tenuit. Ejus tempore 1424.

1424 temporibus mathesis in academia maxime florere coepit, potissimum vero astrologia. Erat professor hujus scientiae famosus, qui nominis sui gloria multos ad scholam suam pertrahebat, ex eo, quod, quae ventura ex astris praedicebat, raro aliter eveniebant. Is pronuntiaverat ex connubio Sophiae reginae Vladislaum suscepturum filios. Eventus ex astrologo vatem fecit. Pridie enim calendas novembris natus est Jagielloni filius ingenti parentum populorumque illis subditorum laetitia, et post quartum mensem ex fonte nomen Vladislai accepit. Inde matheseos studiosis crevit amor et veneratio.

Nato regi filio, ne is a regno ob designationem Friderici Brandeburgici, sponsi Hedvigis, filiae, in futurum regem Poloniae excluderetur, aut diadema saltim controversum post fata regis redderetur, sponsione libertatum ordini equestri concedendarum facta obtinuit rex diploma omnium fere ordinum, quod non alium nisi filium suum essent in regem suscepturi. Hoc depositum est veluti apud sequestrum in manibus Sbignei Oleśnicki, episc. cracov., qui illud tum demum regi redderet, cum is privilegia libertatis ordinibus promissa ex cancellaria sua extradi mandasset.

M. Jacobus de Zaborow secundo rector eligitur.

1425. M. Joanni de Papia m. d. dictatura academica cessit, in qua placidissime quievit eo, quod, peste saevissima grassante, studia academica siluissent, servivitque tempori medicus, quo coelum peste infectum fuerat.

Illud memorandum venit: hoc anno venisse in Poloniam Latinum Ursinum cardinalem, episcopum hostiensem (?), Martini V summi pontificis legatum, qui clavum unum ex his, quo sacratissimum Christi corpus in cruce suffixum sustentabatur dono Vladislao et Sophiae attulit. Acceptus est summo cum honore veniens legatus cum munere, cui obviam clerus et omnis populi multitudo extra moenia processerat. Deductus in cathedralem ecclesiam sacrum pignus in eadem deponit, quod ad hanc usque diem religiose servatur et colitur.

1426. M. Andreas de Kokoryno, rector academiae ex conventu regis cum senatu et ordinibus Varthae habito, legatus ad magistrum Prussiae est designatus, ut efficeret, ne Lubea molendinum ob pacta pacis servanda Vitoldo dederetur. Verum haec legatio optato caruit eventu. Nam quo legatus magis sollicitabat propositum suum, eo Theutonici plures inter Vitoldum et Vladislaum praebebant discordiarum ansas, contra votum regis. Sed et illud praeter voluntatem ejusdem accidit, quod cum instinctu Sigismundi imperatoris libertates promissas Poloniae ordinibus concedere moratur, Poloni quoque Sbigneo, episcopo cracoviensi, sequestro, eorundem obli-

obligationem in medium proferente eandem mucronibus suis in minutissimas 1426.
alonas secuerunt. Quo viso rex tristis et anxius ex consilio publico recessit
et ex generali privatus senatorum non paucorum sponsiones sibi
colligebat.

Die XVI maji in solis ortu alter filius cui nomen Casimirus
nascitur, qui sequenti anno II martij mortuus est. Fecunditas
reginae, opera Vitoldi, qui matrimonium conciliaverat, regi suspecta
redditur. Verum innocens Sophia vindice Deo et innocentia
teste, calumniam juramento evasit.

M. Vladislaus de Oporow d. d. commutatione hyberna
rector.

M. Joannes Olgot (sic) d. d. ad supremum literarii hono- 1427.
ris fastigium evectus est. Vir incomparabilis.

Commutatione hyberna M. Benedictus Hesse commodi academiae
cracoviensis praefuit. Penultima novembris tertius filius Vladislai
die saturni natus est a Sbigneo, episcopo cracoviensi, prima decembris
baptisatus et Casimirus vocatus est. Henricus Bohemus, mathematum
professor a regina vocatus et judicium ex astris de triplici hac partu rogatus,
respondit, se nihil certi scire, conjecturaliter tamen ex astris didicisse,
primogenitum Vladislaum multorum regnorum dominatorem fore, si
aevum illi fata concederent; secundo genitum Andream Casimirum
brevis aevi, ferventissimum genitricis amatorem fore; tertio genitum
Casimirum longioris quidem, quam reliquos vitae, sed parum prosperae
fortunae futurum, sub cujus sceptro Poloniae regnum ad varios casus,
immo ad interitum prope, nisi Deus aliter ordinaverit, esset venturum.
Quae omnia eventus postea comprobavit. 1428.

M. Laurentius de Ratbor (sic) (xxiv. rector.)

Cum haeresis hussitica nullis rationibus ex doctoribus ecclesiae,
s. canonibus ipsaque auctoritate s. Scripturae desumptis locum
daret ad extinguendum ex ipsa ortum incendium, tota Germania
et Anglia collectum ingentem exercitum cardinalis episcopus eps
Vintoniensis in Bohemiam duxit, qui non viso hoste ex rusticana
facie Hussitarum ortum et auctum fugit (sic). Non novum hoc accidit.
Maximi enim aliquando exercitus metu panico infatuati, non hostem,
sed umbram propriam fugiebant et ibi trepidabant, ubi non
erat timor. Bohemi tali eventu animosiores facti Silesiam et
Marchiam Brandeburgensem depopulati sunt, fines quoque
Poloniae praetergressi, anno sequenti coenobium et templum

1428 divae Virginis Claromontanae spolierunt omni auro et argento, iconem B. Virginis Mariae a D. Luca depictam et eo loci a duce Opoliensi miraculo relictam in facie mucrone secaverunt, tabulam supra quam depicta erat trifariam fregerunt et prope puteum, ubi nunc D. Barbarae templum est et noviciatus Eremitarum D. Pauli primi eremitae abjecerunt. Quae a piis cultoribus aqua fontana abluta Cracoviam ad regem fuit delata, qui reparari, auro et argento vestiri mandavit superinductis coloribus, praeter vulnus in facie inflictum, quod nulla arte, nullo ingenio obduci et complanari poterat ad spectandam eorum futuris seculis, qui illud inflixerunt, impietatem.

1429 Mgr. Andreas de Kokorzyno tertio rector creatus.

Conventus regis Vladislai cum Sigismundo imperatore et Vitoldo in Lucko celebratus, peperit ovum scorpionis. Sigismundus enim magnus simulator et parum aequus Vladislao, stimulos Vitoldo addidit, ut propter rerum gestarum gloriam et armorum potentiam in regem se Lituaniae ex imperatoris gratia et favore pateretur (sic), succubuissetque ambitioni fortassis Vitoldus in praedam Lituanorum et cum regno Poloniae in perennem antagonismum commisisset, si non matura procerum Poloniae industria, labor, vigilantia, nascentem discordiam in herba oppressisset. Positis enim excubitoribus ad fines regni, legatos Sigismundi ad Vitoldum averterunt, allataque ad fines regni nova Lituaniae diademata suppresserunt.

1429. Mgr. Joannes Creisewitz secundo rector.

1430. Mgro Joanne de Vielun s. t. b. rectore indictum fuerat concilium a Martino V papa, Papiae, quod propter pestem translatum est Senas, inde Basileam, ad quod duo ex professoribus destinati sunt.

Commutatione hyberna Andreas de Buk s. t. b. mandatum ad celebrandas exequias Magno Duci Lituaniae Alexandro alias Vitoldo universitati intimari fecit, solennes item supplicationes pro vita regis in periculo a duce Suidrigelone con-

constituto, tum pro universa ecclesia et republica (!) polona, quatuor 1430.
anni temporibus faciendas instituit.

Vladislaus autem rex metu omni et insidiis Lituanicis liberatus ob constantem fidem in se Polonorum eisdem tributa remittit, privilegia nobilitatis antiqua confirmat, nova adtribuit. Cum autem interim per Suidrigalum detinebatur, senatus polonus (sic) ex senatus consulto Mgr. Vincentius Koth formator et institutor regiae proli datus est. Quod factum rex judicio suo deinde comprobavit.

M. Joanne de Radochonice C. S. Floriani, rectore 1431.

Martinus papa V, qui schismate quinquaginta annorum sublato pacem ecclesiae reddiderat, res Italiae turbatas, pace inter dissidentes composita, constituerat, urbem intestinis dissidiis afflictam recreaverat, moribus et optimis institutis excoluerat, mortuus est, postquam sedit annis XIV. men. III, d. XII. Huic in sede Petri successor electus est Gabriel Condelmerius, Eugenius papa IV nuncupatus.

Vladislaus rex, cum jam dudum et a sede apostolica indultum et a Sigismundo imperatore verbotenus et literis consensum expressum haberet, ut cum Bohemis quoscunque licitos et honestos miscendi super fide S. Catholica sermones et tractatus haberet, et illos convenientibus modis ad unionem et obedientiam ecclesiae universalis reduceret, poscentibus itaque Bohemorum nunciis a rege salvum conductum pro legatis venturis, annuit et consensit, ut Cracoviam pro dominica Judica alias Passionis Domini venire possint, publicam audientiam a rege et impugnationem suae sectae ab universitate cracoviensi habituri. Universitatis almae doctores in tempore moniti fuere, ut se pararent ad congrediendum et disputandum cum Bohemis haereticis et ad defendendam puritatem sinceritatemque fidei catholicae. Stato igitur tempore Cracoviae in palatio regio, feria secunda post dominicam passionis in publica regis et totius senatus audientia per doctores universitatis cum Bohemis haereticis habita est gravis disputatio. Erant autem hi doctores specialiter ad hunc actum ab universitate electi et deputati: M.M. Stanislaus de Skarbmierz, Nicolaus de Kozlow, Andreas de Kokorzyno, Benedictus Hesse, Franciscus Greise-

1430. Creiscesiuz, Joannes de Olgot, Jacobus de Paradyso, Helias de Vindelicia, quos tanquam pugiles fidei sequebatur plurimorum aliorum professorum longus ordo. Et licet Spiritus divini suis fidelibus subministrante virtutem et veritatem sermonis haeretici non judicio tantum spiritualium sed etiam saecularium, ita argumentis convincerentur, ut plane victi essent, victos se tamen nullatenus pertinaci animo fateri voluerunt, affirmantes, se rectam evangelii et Christum veram, aliquando ignotam, nunc primum invenisse. Duravit disputatio dies aliquot, et ut ab omnibus intelligeretur, idiomate polono argumenta proponebantur et objectiones solvebantur. Re infecta, instante Sbigneo, episcopo, et doctoribus, propter instantem paschatis solennitatem, ne ecclesia in urbe interdicto propter haereticos teneretur, Casimiriam magno cum pudore legati ablegati fuerunt.

Hedvigis reginula, filia Vladislai, moritur, cui M. Adamus Swinka epicedium in funere consecravit, quod apud Dlugossum legere poteris. Incipit.

O jubar ursinum.

1431. Commutatione altera M. Derslaus de Burynowo rector factus.

1432. M. Thoma de Strampino j. u. d. doctore (sic).

Vladislaus rex in Aprili Siradiae comitia habuit, in quibus pater de prole et impendentibus undique anxius, natu majorem filium regem post sua fata nominat, approbante totius conventus suffragio.

Per id tempus legati regis Cypri et Hierosolymorum nomine Jani ad Vladislaum veniunt. Caput legationis fuit, ut Hedvigim filiam in consortem regi et regno mutui nomine ducenta millia aureorum nummorum obtinerent, afferentes ex regno Cypri duas partes redituum. Sed hac legatione nihil perfectum, quod aerarium regis continuis bellis esset exhaustum et Hedvigis ante legationem fatis concesserat.

Legatis vero Bohemorum Cracoviam cum regiis deductoribus adventantibus, Sbigneus, episcopus cracoviensis, suadente universitate interdictum ecclesiasticum in urbe tenuit, propter quod

quod factum episcopus et universitas regis et multorum episcoporum odium 1432.
incurrerunt. Hi enim non excludendos a divinis Bohemos censebant
eo, quod ad initium basileensis concilii (sic.) eorum legati non essent
exclusi et in eorum praesentia divina officia apud archiepiscopum
gnesnensem habita fuerant et ad communionem divinorum essent
admissi Joanne Vladislaviensi, Stanislao Posnaniensi, Joanne Chel-
mensi episcopis ad latus regis haerentibus, liberaliterque semper
essent habiti et tractati. Legatis contumeliam irrogatam rex duxit
esse suam, movitque regem (sic.), ut episcopo et universitati
obviam sibi venienti nec dexteram quidem daret, quin talibus
severe affatus est ut refert Dlugossus.). Quae in codice Ra-
dyminscii sequitur oratio etc. eamlege sis apud Dlugossum T. I. p. 607
B. usque ad p. 609. B. usque ad verba: concilio salubriori mutante
propositum, non venit.

M. Nicolao de Brega s. S. t. academiae praeside. 1433.

Romae apud Eugenium IV et Basileae apud concilium gene-
rale rex Vladislaus a Sigismundo imperatore accusatus, quod Bohe-
mis faveret et eorum opera et armis contra Cruciferos uti vellet,
ad se purgandum et concilio nomine universitatis assistendum
mittit M. Stanislaum de Stobnow, praepositum tridentinum (?)
cum altero professore (vide inferius pag), qui criminationes
adversariorum in regem factas egregie diluerunt et ad objecta
tam Romae, quam in concilio responderunt. Unde Caesar plus
ignominiae quam honoris in se derivatum ex tali accusatione
sensit. Supervenerunt deinde ad concilium illud generale, nomi-
ne regis et regni legati Sbigneus Oleśnicki, posnaniensis episco-
pus (sic habet noster Radyminscius; at nomina legatorum vide apud
Dlugossum I. p. 647, C.), qui curam omnem intendebant, ne quid
potentia Sigismundi imperatoris et Cruciferorum calumniae
vel minimum Vladislao et ejus regno aspergerent, ut testatum
facerent, regnum Poloniae in defendendis rebus fidei nulli al-
teri Christiano cedere velle, conciliique contra Eugenium, qui il-
lud solvere volebat, se cum universitate assistere dicebant.

Commutatione sequenti Matthias de Bodzencin.

Mag. Stanislaus de Uscie, priore commutatione academiam 1434.

1434. administravit.

Exitu anni superioris sydus crinitum X diebus luxisse a mathematicis observatum, fatum regis Jagiellonis fuit. Processerat is in Halicz propter excipiendum feudale juramentum Stephani, Daciae reguli. Necdum perfecto itinere in Grodek subsistens, corpore de noctu infrigidata, qua sub dio agens et lusciniae cantu, quo maxime afficiebatur se oblectans, in vigilia pentecostes febre ad mensam correptus, decendio post omnibus sacramentis rite procuratus, die ultima Maji S. Petronellae sacro, regnum terrae coelesti commutavit. Luxit Polonia regem optimum, planxerunt Lituani dominum et principem, fleverunt musae academicae alterum fundatorem, Gregorio a Sanok Appolline Parnassum tunc gubernante. M. Paulus de Zathor cujus manuscripta concionum praeclara in bibliotheca habentur, pro funere laudationem regis, regni et universitatis ordinibus adstantibus habuit. In concilio vero basileensi cum exequiae celebrarentur et orator designatus casu quodam a concione abesset, Julius, cardinalis praesidens sic perorabit: Mihi credite, patres optimi, tanquam experto (eram enim aliquando in Polonia), rex iste, cujus exequias celebramus, Ecclesiae S. Dei ultra quam credi potest, praefuit suo tempore. Nam a tempore, quo Christianismum suscepit, ultra triginta millia paganorum ad lumen fidei convertit, et cathedrales ecclesias de novo funditus pro neophitis erexit, et in loco, ubi perpetuus nutriebatur ignis et adorabatur, ecclesiam collegiatam, destructo igne, construxit et clerum in tam copioso numero ibi auxit, ut die et nocte nulla hora nullumque momentum existat, in quo non per certos ecclesiae ministros jugis laus altissimo persolvatur.

Successit patri filius Vladislaus III senatorum assensu, bellica virtute clarus.

M. Joannes Puska commutatione altera academiam rexit.

1435. M. Michaele de Schydlow, commutatione aestivali et M. Andrea de Buk commutatione hyberna rectoribus.

Vladislaus III in pacis perpetuae cum Cruciferis Syradiae foedus confectum consonat. Daciam universam, contendentibus duobus fratribus de primatu, dividit. Stephano Tauricam Chersonesum cum

cum Albo Castro et maritima regione, Heliae vero superioribus cum Sorawa Valachiae partibus attributis, supremum jus regno et sibi in eisdem reservavit, fiduciae sacramento ab Helia Leopoli recepto tanquam regni vasallo, eique tributum 400 boum, 100 equorum, 200 curruum, de possessionibus in annos singulos regno pendendorum imposito, Stephanus in aliud tempus cum obedientia praestanda delatus est. 1435.

Universitas ad synodum Petricoviensem DD. et professores, postulante clero transmisit. Agitabatur tum gravis controversia inter spiritualem et saecularem statum ratione decimarum, de qua vide Dlugossus (vide tomi I. p. 680 B. Conventio in Piotrkow de decimis usque ad nusquam fuit observatum p. 681).

Undecima martii Paulus Vladimiri de Brudzewo D. d. mortuus est. (de hoc plura vide ap. Dlug I. p. 686).

Magistro Joanne de Jastrzembie, rectore duabus commutationibus. 1436.

M. Vincentius Koth post mortem Alberti Jastrembiec in archipraesulem gnesnensem est electus, Sbigneo, episcopo cracoviense in translationem suam ex episcopatu cracoviensi in primatum nullatenus, quod omnis ordo spiritualis et saecularis optabat consentiente.

Sigismundus imperator apud quem Vladislai regis nuncii pro neptibus Alberti, ducis Austriae, in matrimonium ducendis agebant, casso opere, eo quod in aliud tempus id differre sibi placuerat, tum primum regni possessionem bohemici apprehendit, concessa videlicet haereticis libertate possidendi ea, quae occupaverant, quo quidem modo et regnum adiit et sibi apud incolas magnam benevolentiam comparavit, et magnum cumulum malorum posteris cumulavit et grandia damna ecclesiae intulit. Bohemi enim non alio respectu errores suos pro calice, iconomachia et primatu sedis Romanae tuebant, nisi ut cum illis bona regalia et ecclesiastica, quae diripuerant et occupaverant, retinerent, quae sciebant, erroribus depositis per Romani Pontificis censuras et jus omne legitimis possessoribus restituenda. Et haec est vel una, vel sola causa in orbe Christiano, cur haereses non extirpentur. Errorem facile est agnoscere, cum intellectus vincatur rationibus, at dimittere, quibus aliquis inescatur bonis admodum difficile

1436. et durum. Per tela, per ignes pauperiem fugimus.

1437. In rectoratu Jacobi de Zaborow

Habita fuit apud Vladislaum Cracoviae multa et diuturna deliberatio super cusione monetae, a qua ut cessaretur tantisper consilium dabat Sbigneus Cracov. episcopus, eo, quod liga seu proba ejus minueretur, ob quod multiplicatio ejus vilitatem ejusdem esset adductura, et quod in Silesia, Moravia, Bohemia ad instar monetae regni a falsariis in damnum Polonorum similis imprimeretur, in rudioribus minime dignoscenda. In eam rem usus fuerat similitudine virginis venustae, quae quoad in matris diligenti custodia casta servatur honore, eadem, expugnata pudicitia, eidem parenti probro est et vituperio. Non potuit tamen salubre consilium vim avaritiae infringere, quo factum est, ut Polonia spoliis pateret externorum clandestinis, magis, quam si ab hostili exercitu vastaretur.

1438. M. Joanne Oelzoth commutatione aestivali et M. Dersleo de Buryzow commutatione hybernali rectoribus.

Prior vices episcopi, quia vir omnium, quos illa aetas tulit, erat mansuetissimus et doctissimus sustinebat ad eum Veronica virgo devota in ecclesia cathedrali accedens, a Deo se esse missam cum certa legatione apud eum exponenda non vanis documentis, potissimum, quae ipse in adolescentia egisset ostensione et quorum nemo, nisi Deus, conscius erat, postquam asseruisset. Bone Pater, inquit, proximo natali Christi, orationi vacans per quietem visa sum mihi laudibus divinis in ecclesia D. Floriani adsistere, vidisseque e sacrario longum ordinem, praeeuntibus vexillis varii generis hominum, pontificalibus et militaribus signis rubro candidoque vestitu micantium pompam perducente (extraque limina templi sese efferre, extremo agmini adhaerens M. Nicolaus de Brega, quem solum ex illa multitudine de facie cognoveram. dum me angulo templi absconderem dixit. Quid agis filia? quasi innueret, ut praeeuntes sequerer. Quod dum ejus voce animata facio secuve extra muros coemiterii progressa, quo se illa solennis processio contulisset minime video, dumque me partes in omnes verto, en ecce genius candidissima veste. Nata, inquit, viam quaeris, qua tuum magistrum assequaris, ista, quam tenes non est; intendensque digitum in domum proximam, eo loci eum reperies, si festina, gradus, quos ibi conspicies, animose conscenderis. Capto iter limenque illud angustum et humile subeo, et mox scalam ejusque primum gradum

gradum ingentis molis, nulli solo inhaerentem, nisu quo possum maximo non sine 1438.
horrore, quod ruinis, hiatibus, fissurisque deformis esset, perrepto. Alter gradus minor nec tam difficilis permeatu erat, quam deformis. Hoc etiam superato, ingredior tertium brevissimum luceque splendidissima coruscentem in cujus meta palatium angustum ~~erat~~ invenio, cujus penetralia, porta patente, lumina intendens immissoque corpore medio conspicio cellam, in qua lectus floridissimus vix pedis vestigio locum concedebat. At in lecto jacebat venerandi vultus heroina, peplo caput nitidissimo redimita. Ad caput jacentis sedebat M. Nicolaus Brega verbaque loquentis in aurem dominae secretim excipiebat et alia vicissim regerebat. Scireta ne impedirem colloquia, retro ferenti M. Nicolaus dixit: Nata, quid tibi negotii hic est, aut cur venisti? Citius Dei domum repetas, brevi et ego te sequar. In descensu dum ultimo gradui pedem admoveo, dabat se mihi obviam mulier corpore, veste, habitu, gestu, nitidissima, planeque Voluptas ipsa, nisi quod facie mutabilis, pectore anhela flammeo ad luxum pala ad omnem pompam esset instructa, et vas argenteum grande in sinistro ferens humero, non pro majestate procedere, festina currere mihi et lymphatae similis currere videretur. Cui dum viam cedo rogoque: quid et cui, tam nobilis cum sit, servitia faciat; respondit: Vinum fero illi, quam superius vidisti heroinae bibendum, ubi ille presbyter, qui se mihi ubique adversarium ponit, ab ea discesserit, potandum. Evolutae domo illa domumque meam properanti, ad portam urbis proximam, rursus se mihi conspiciendum praebet sacer ille divorum, quem ex templo egredientem videram ordo. Cui ne me objicerem ad latus, tremens, declinavi. At enim duo ex ordine illo, alter pedo, alter labaro insignis ad me accedentes: Filia inquiunt, quid moliris? Metu elinguem tiaratus confirmans: Pelle, ait, animo timorem. Scimus, unde venias, et quae spectaveris, quorum tibi intelligentia opus est, cum ea non satis mente conceperis. Ego Adalbertus et hic gloriosus martyr Christi Florianus coelestium spirituum comitantibus choris adimus ad B. Venceslaum principem et S. Stanislaum praesulem in pomoerio arcis vestrae quiescentes. Nos enim quatuor tutela regni istius suscepta, incessanter pro salute gentis apud thronum altissimi advocati adsistimus. Et vos quidem hodie ex memoria natalis Virginis Mariae puerperii mento grandia cum jubilo celebratis, at quot et quanti in vicinia bonis spoliati, vulneribus saucii, fame et peste attriti, in compedes conjecti luctu et lacrymis squalent populi, quorum gemitus coelum ipsum penetrat. Tu igitur, filia, auscultata mihi et haec ~~omnia~~ atque his graviora in gentem Polonam ventura denuncies, nisi poenitentia factorum indignationem divinam provenerit. Iratum numen, Virgo Mater et nos continue deprecamur, verum crescente in immensum malitia hominum in proximo est, ut in omnes effundatur ira Dei. Haec autem est eorum, quae vidisti, ratio. Gradus primus immensae molis conservata sunt flagitia potentium, qui, quia pedamento caret casus omnes eorum

1438. eorum, qui praesunt expectat. Alter gradus brevior populum significat (spectat [cat]), qui quia non tam frequentibus flagitiis scatet, facilem se tibi ad permeandum praebuit. Sed nec ille vitiis suis caret, ideoque merito plectendus est. Tertius gradus brevis et exiguus est paucorum spiritualium, quos Christus ipse verum lumen illustrat; plerique enim illorum ob respectus humanos parcunt veritati. Heroina lecto recubans, angustis conclusa parietibus Ecclesiam Dei repraesentat afflictam et a multis oppressam. Sacerdos, cui illa in aurem loquitur Collegium est Doctorum et verbi Dei praeconum, qui eam salutaribus doctrinis et praeceptionibus fulciunt. Illa vero bene curata, procax et lasciva mulier mundi, carnis et daemonis est illecebra, quae exquisitis fraudibus ad fastum, ad luxum caeteraque vitia homines pellicit. Vas illud, quod defert, poculum est Babiloniae meretricis, ex quo bibunt omnes peccatores terrae luxuriae foetorem, fumum superbiae, faeces gulae, hydromel avaritiae, torporem acediae, livorem invidiae, quibus inebriata mortales voces, vindictam provocantes, ad ipsa tollunt sydera. Pestilentis hujus aconiti defluit non parum in eos, quos Christus in lucerna ecclesiae ad illuminandas gentes posuit. Multa de oppressione pauperum, viduarum et pupillorum injuriis commemorans, spem tamen bonam faciens, si rea, ut coepit, viam patris ire et praecepta mandatorum Dei servare perrexerit, prosperatum iri. Duo ad extremum mihi injunxit: primum, ut ea tibi, quae videram denunciarem, supplicationesque ad pulvinaria divorum instituendas suaderem; alterum, ut Magistrum Nicolaum de Brega monitum facerem, quatenus una tecum sedula apud populum de poenitentia verba faceret et ad viam salutis amplectendam fideles adhortetur. Quae cum dixisset, sonitu aeris campani ad laudes in matutinis resonantis ad me redii, ignara poenitus, an haec visa in corpore, vel extra in somno, vel in vigilia mihi contigerint, ideoque ea tibi non referre, ne levitatis arguerer, proposui. At me rursus die VIII, ipso dominicae Circumcisionis die, insolitus horror occupavit, quasi rea criminis ad tribunal supremi judicis jam jam sistenda essem, quod mysteria haec tibi non dixerim. Cum propter verecundiam te adeundi deposuissem siluissemque, die octavae S. Joannis irruit vox super me, quasi ferire volentis: Nunc mihi importuni silentii dabis poenas ideoque manus dextra elanguit adeo, ut non nisi sequenti die adminiculo alterius, eam levare possem. Concepto autem voto, quae mihi mandata sunt, tibi referendi, illico convalui. Haec ergo tibi, qui in urbe hac praepiscopus es, defero. Tu quod tibi bonum videtur facies. Ego me

m ab hinc voto liberam censeo. Joannes, vir pius et doctus, non aniles naenias 1438.
sed veram visionem multis argumentis agnoscens, de omnibus Sbigneum
cardinalem certum reddidit, ipse autem cum M. Nicolao de Brega eam
curam et diligentiam circa divina et populum capiandum adhibuit,
ut brevi, quasi primogenita, Deo cooperante, Cracovia redderetur.

Sigismundus, imperator, Znoimae in Moravia mortuus, Varadini in
Hungaria sepelitur. Cui Albertus, dux Austriae, in regna et imperi-
um successit. Electus quidem fuerat in regem Bohemiae Casimirus,
princeps Poloniae, Vladislai regis frater, res tamen eo recidit, ut re-
gnum illud Alberto concederet, propter jus pinguius successionis in Al-
berto Austriaco residens.

Vladislaus autem institutis provisoribus regni, ipse clavum regni
gubernandum suscepit, utpote qui tum annum pubertatis scilicet XV fue-
rat ingressus.

M. Nicolaus Spicimir, sedis Apostolicae in regno Poloniae et Bohe- 1439.
miae nuncius de latere, et M. Jacobus Parcossus sceptra academiae
administrarunt.

Eugenius IV concilio Florentiae de unione cum Graecis celebrato in
eadem Bessarionem, episcopum Nicaeae et Isidorum, archiepiscopum
Kijoviensem, ritus graeci, cardinales creavit Romanae ecclesiae.

At in concilio basileensi contra Eugenium creatus fuit in schi-
smate papa Felix V, sicque dum sibi occidens orientem unit, ecclesiae
occidentalis patres inter se vestem inconsutilem Christi scindunt. Al-
bertus, imperator, esu peponum vitiato ventriculo, in Hungaria mortuus,
apud Albam regalem sepulturam accepit. In regnum Hungariae Vla-
dislaum, Poloniae regem, Pannones, haerede in utero Helisabethae post-
humo Ladislao latente, postulant, qui donec adolesceret, Austriae du-
catu contentus viveret. Dubitantibus rege et proceribus, an patria
dimissa alienum regnum esset assumendum, publica utilitas vicit pri-
vatos respectus. Conducibilius siquidem visum est pro fidei catholicae
integritate viribus Hungariae contra Turcam pugnare, quam in re-
gno Poloniae pro eadem dimicare.

In regem Romanorum electus est Fridericus, Austriae dux.
Regnum Bohemiae per duos administratores Ptaukonem et Mainhar-
dum gubernabatur.

M. Joanni de Dobra M.D. et M. Jacobo Parcossio, plebano in Rupella S. 1440.
Stanislai, parebat Universitas Cracoviensis. Qui cum sequenti anno magistratum
continuasset, facta est sub eo generalis altera universitatis reformatio. Quum e-
nim leges, quas condit, ex tempore et variis accidentalibus noluit esse variabiles
cum de ingenio humano nimis plus quam aequum est statuentem et rerum vicis-

1440. vicissitudinis, quae in orbe hoc volvuntur et revolvuntur perpetuo ignarum esse manifestum est, solius Dei edicta et naturae, cujus ille auctor est, cum sit ipse invariabilis, sunt immutabilia, statuta humana lapsu temporis labuntur et correctionem suam accipiunt. Quis enim mortalium omnia pervidere (sic), aut cursum rotantis omnia temporis inhibere potest, ut quae nunc utilia sunt postea nulli usui aut necessitati serviant, in eodem tamen statu fallente suam intentionem conditione temporis servari velit? Certe nemo. Inde factum est saepius, ut leges rerumpublicarum pleraeque mutarentur, aut penitus abolerentur aliaeque meliores conderentur. Quum vero sanis corporibus medicinae non adhibentur, nisi cum illae aegrotationes adveniunt, ita in rebuspublicis optimae leges nonnisi per occasionem depravationis morum sanciuntur, nec ad reformationem earum prius acceditur, quam ab eis exorbitatum fuerit.

Contigit eadem sors academiam Cracoviensem, quae a prima sui per Casimirum fundatione, paucis legibus, ultra quadraginta annos et amplius regebatur, quibus, quia non omnia comprehensa fuerunt, quae ad ejus florem conservandum spectabant, anno restaurationis per Vladislaum regem 1400 ad antiqua statuta addita fuerant per divos illos patres nonnulla ad codicem statutorum aliquot nova. Rursus iterumque post quadraginta et unius anni revolutionem videns Universitas et solerter considerans statuta sua, quibus hactenus regebatur, pro confovendis in suis suppositis moribus et excutiendis ab eisdem negligentiae defectibus in antea minime sufficere, quoniam ut apostolica testatur autoritas nulla sanctio quantumcunque maturo digesta consilio ad humanae naturae varietatem et machinationes ejus inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam sui nodosae ambiguitatis attingit servare. Volens igitur super his oportune et bene gerendis rebus suis consultius providere anno 1441, die Veneris, 21 Julii ad mandatum rectoris sub tali verborum tenore fuit convocata: V. D. Doctor et Magister Reverende! Sitis hora XVIII in stuba communi collegii Artistarum ad tractandum super reformatione defectuum in nostra Universitate contingentium sub poena praestiti juramenti.

alio loco habet 21 Junii

Visum autem est mihi pro perenni memoria ex prima parte matriculae Universitatis doctorum et professorum nomina et cognomina conscribere, ut unusquisque videat, quae tum majestas fuit universitatis.

– Occiso duce Magno Sigismundo Lituaniae procerum alii filium suum

filium suum Michaelem, alii regem Vladislaum dicunt. Rex fratrem Casimirum vicarium esse jubet, literisque ad obediendum monuit. Ipse ad Hungariae insignia capessenda Cracovia movens, multa infausta omina, quae illum merito detinere debebant in itinere habuit. Scissum erat regnum, alii Ladislaum infantem, alii Vladislaum, Poloniae regem, votis expetebant. Helisabeth regina castrum Wyssegrad ingressa, coronam, qua reges insigniri consueverunt aufert, eaque Ladislaum infantem opera Dionysii cardinalis, archiepiscopi strigoniensis, cum suae partis proceribus coronari procuravit. Vladislaus Budam veniens, in concione manibus procerum in altum sublatus et rex omnium communi voce inclamatus est. In Alba regali diademate de calvaria S. Stephani, Hungarorum regis coronatur. Pro tribunali sedens causas injuriarum audiit et justitia mediante definitas debitae executioni mandavit, orsus regimen a justitia, quae firmat thronos regales et clementia, quae fundat imperia. ??

Laeta regni principia luctuosum bellum civile excepit. Regina Helisabeth Giskram et Ladislaum Banum in caput Vladislai stimulante. Sedata fuit ea armorum tempestas, victo Bano, non diu tamen Alcinoia fulsere. Brevis est omnis belli interspiratio. Acceptis ex Polonia Vladislaus suppetiis ademptas regno Hungariae et spoliatas civitates, bruma ineunte recuperabat, totumque ver sequens in expugnatione rebellium consumpsit. ?

Nomina et cognomina DD. Professorum Universitatem Cracoviensem repraesentantium, ad mandatum rectoris Jacobi Parkossii de Zorawice J. U. D. et professoris pro reformatione statutorum et legum universitatis convocatorum.

Myli się Radymiński, to nie są professorowie z tego roku, ale dawniejsi i późniejsi.

Anno 1441. Julii 21. (+) al.

al. alii loco habet. Anno 1441. die Veneris 21 Junii

Mgr. Joannes Isneri S. T. professor – M. Mauritius de S. Marco S. T. prof. – M. Nicolaus de Gorzkow Offic. Crac. Dec. Doct. – M. Joannes dictus Szekna Ord. frat. praed. – M. Bartol de Jaser S. T. B. – M. Nicolaus Piser S. th. prof. – M. Thomas Andreae de Amelia med. prof. – M. Fridericus Sluner. – M. Stephanus Chopper. – M. Andreas de Marzemburg. – M. Franciscus Crayszewic de Brega. – Joannes Aldebrandi de Kruczeburg – Jacobus de Beer – Antonius Tempelfeld – Albertus Alberti de Mlodzaw – Stephanus Mtadota licent. in jure – Stan. de Zarnowiec – Petka de Gorzykowa – Nic. de Aruswank – Mgr. Joannes Fatkowski. Gregorius Benedicti de Cracovia – Nicolaus de Koztor – Andr. de Kokoryno – Henricus Alman bacal. in medicinis – Andreas Pirnicer – Erasmus Eliae de Nissa – Vith. Keeinger – Matth. de Kolo – Nicol. Scultati –

(+) Sub idem tempus commutationis hyberna incidit rectoratus Pauli Pasconis et Jacobi de Zaborow.

Conradus Oswaldi de Brega — Elias de Wywelnicia — Strezko de Vlamow — Andreas de Drogen — Henricus de Klobucko — Fr. Nicol. Libaldin, m. art. ord. praed. — Theodoricus de Gdańsk — Joannes de Norlingia — Otto de Lapide — Jacobus de Zaborów decret. doct. — Joannes de Sapia — Matth. de Legnic — Alexius de Piekary — Augustinus de Mosterberg — Paulus de Worczyn — Olaus de Upsalia — Joannes Schefelic — Vincent. de Swajdnic doct. med. — Joan. Kro m. d. — Monaldus — Viberardus Adfeld? — Steph. Palec — Mag. Stanisl. de Usicie — Jacobus de Syrec — Frater Hermannus s. t. prof. — Vladisl. de Oporow d. d. schol. Vl. — Thomas de Chroberz d. d. — Jaroslaus de Sluzow — Albertus de Jastrzębiec d. d. — Nicolaus de Ostrołbice — Nicol. de Blonie — Joannes de Elgot — Paulus de Worczyn — Andreas prof. s. th. mag. s. Palatii — Thomas de Strzampino d. d. — Benedictus Hesse — Jacobus de Paradiz — Laurentius de Ratibor s. th. prof. — Joannes de Dobra — Michael de Szydłow d. d. — Stanislaus de Usice d. d. — Petrus de Kromo d. d. — Joannes de Radoszowice — Joannes de Jastrzębie — Swantoslaus de Wojcieszyno — Paulus de Zator — Andreas de Buk — Michael de Omnibus SS. — Nicolaus Speicimfer — Nicol. Kalisz — Valent. de Ungaria — Gregorius de Mysłowice — Mgr. Martinus de Olaczów — Joan. Pusaka de Cracovia — Stanisl. de Łysino — Joan. de Dąbrówka — Joan. de Kęty — Barthol. de Radom — Albertus de Łysiec — Matthias de Bacіąż — Nicol. de Rasnice — Caspar Stokemberg — Paulus de Klobucko.

In qua quidem convocatione congregatis in Spiritu S. omnibus DD. Doctoribus et Magistris, Universitas infrascriptos viros, gnaros et expertos, divinaque et humana lege conspicuos et in quibus spiritus consilii merito credebatur requiescere, unanimi voto et consensu nominavit, elegit et deputavit, qui, ejus plena fulciti auctoritate, potestatem haberent omnia et singula statuta universitatis praedictae, omniumque facultatum ejusdem examinandi, recensendi, immutandi, reformandi, corrigendi et alia faciendi, quemadmodum ipsis videretur consultum, expediens, aut quomodolibet necessarium, pro bono universitatis hujusmodi eo uberius promovendo, adaugendo atque confirmando. Itaque inprimis veluti principem et caput suum nominavit et elegit praefatum Magistrum Jacobum tunc, ut praemittitur rectorem: deinde quatuor decanos facultatum: theologicae: M. Nicol. Koślinski s. t. prof. can. s. Flor.; canonicae, Derslaum de Borzynowo archid. et can. crac.; medicae Joan. de Dobra; artisticae Mag. Andream de Dob-

Dobszyno: deinde ex quavis facultate: Mgrum: Benedictum Hesse, Decan. S. Flor. s. th. professore, Joanne de Elgot, scholastico, Joanne de Ludzienko M. D. Mgro Bart de Radom, Collegiato regali S. T. B. et penitentiario, praesentibus deputatis. Laurentio de Ratibor, Can. S. Flor. Magist. Joanne de Radonce can. crac. mag. Nicolao de Brega can. S. Flor. s. th. prof. Mag. Jacobo de Zaborow. M. Thoma de Strzampino. M. Paulo de Zator. M. Thoma Spicimer, cantore. M. Joanne Puszka Can. Crac. Dec. doctoribus. M. Joanne Morent. M. Joanne de Kanty. M. Paulo Piotrkovio. M. Thoma de Bozecin can. S. Flor. M. Matthia de Labysnijow. custode S. Flor. M. Paulo de Klobucko, M. Paulo de Swarrow, M. Joanne de Raciborsko, M. Nicol. Bylina, Collegiatis Collegii Serenissimi Principis et Domini D. Vladislai Dei gratia, regis Poloniae. 1441.

Mag. Paulo Paskonis et Jacobo de Zaborów in sequenti commutatione rectoribus. 1441.

Facta autem est Universitatis Cracoviensis secunda post primam fundationem reformatio talis.

Data convocatione pro reformatoribus 18 Augusti Mgr. Joannes Pusch J. U. D. C. C. resignavit professionem regalem M. Jacobo Parcosi, pro tunc rectori; retenta sibi cancellaria posnaniensi et ascensu ad ecclesiam S. Floriani, quam resignationem et reservationem D. Rector et reformatores acceptarunt.

Eadem die reformatores M. Nicolao Kalisz J. U. D. dum et quando Cracoviam ad residendum in universitate redierit cameram in collegio J. C. statui suo congruentem reservarunt, qui veniens in conspectum concilii resignavit altare S. Mariae Aegyptiacae, quod pro collegiatura sua in cathedrali cracoviensi tenebat, Magistro Joanni Elgot, qui eam continuo admisit et suscepit.

Jidem DD. Reformatores constituerunt, ut in domo medica stuba major domus fiat lectorium pro lectoribus in medicina legendis, cujus lectorii ostium fiat ad plateam. Pro doctore autem ordinario et ejus familia cum uxore, sumptibus Universitatis in palatio superiore ejusdem domus commoda aedificia ponantur.

Intercedunt hic non pauca, quae ad reformationem domus seu collegii Artistarum pertinent, quae quia minus futura necessaria judicavi ideo eadem omisi.

Die XXVII Septembris D. Rector convocata Universitate proposuit alii loco habet XXIII.

proposuit nonnullas difficultates circa plebanum S. Annae, quas quia cum reformatoribus digerere non potuit ex consensu totius universitatis statutum est, si non posset ad extremum amicabilis compositio fieri cum Rmo Abbate Clarae Tumbae de praesentato ad plebanatum S. Annae, ut interponeretur appellatio contra Abbatem ad sedem Apostolicam. VIII Octobris villula universitati a Beata Dymitri donata, pro eo, quod ab usufructuariis non bene administraretur, precario concessa collegio Artistarum, quam domus abhinc titulo oneroso tenet; nimirum quia regales omnes, quolibet sabbatho disputare tenentur et ex eadem censum minoribus collegis solvere tenentur. Videatur Ladula N. 12. Plures reformationis articulos videre mihi non licuit, eos tamen vel in libro statutorum, vel conclusionum, vel demum in Ladulis Universitatis reperire curioso licebit. N. 12.

(alio loco addit Boszcyna)

M. Pusz C.C. movit litem contra canonicos S. Floriani in universitate ex eo, quod Dni Canonici post promotionem suam ad dictum capitulum S. Floriani Mr 4½ de proventibus ipsius praebendae penes se retinerent. 2do Quod cum celebraret in cathed. eccl. ob absentiam ad S. Florianum fertone se privarent. Responderunt citati: Non debere sibi praedictas marcas, obstante sibi privilegio ejusdem ecclesiae, quod disponit, ut promotus ad canonicatum S. Floriani, laboret per duos actus, quod Actor praesens non facit, nisi ad superiorem facultatem sit promotus. Replicante autem actore: Non per se stare quominus promoveatur in superiore facultate, sed per patres, qui illum promovere nollent. Respondentibus patribus, per ipsum stare, quia se talem praebuit, cui merito denegandus esset superior gradus. Universitas decrevit, merito multatum esse ob defectum laboris in marcis. fr. fertone etiam puniendum, neque enim ob absentiam ei debetur, et pro sua praesentia in cathedrali, quotidianas refectiones acciperet.

1442. Rectore Universitatis Stanislao de Lysin, secundo, qui tribus commutationibus Universitati praefuit.

(alio loco habet de Sobnow)

Cum schisma inter Eugenium, qui Romae et Felicem V a concilio basileensi electum gliseerat, Eugenius ad imperatorem et regem Vladislaum, qui neutralitatem tenuerant, Julianum de Cor-

de Corsarinis(?) cardinalem pro obtinenda obedientia, consilium autem basileense pro suo electo Sm Principem Alexandrum, Masoviae ducem, Tituli S. Laurentii in Damaso, patriarcham aquilejensem et episcopum tridentinum a Felice V creatum, miserat. Quamvis autem Cardinalium uterque, quilibet in suam partem multis rationibus imperatorem et regem pertrahere laborarent, erat tamen imperium et regnum Hungariae in Eugenii obedientiam proclivius, regno Poloniae in neutralitate perseverante. Universitas enim studii Cracoviensis, tractatu speciali super ejusmodi schismate edito, demonstrabat, Felici potius quam Eugenio pro tunc esse obediendum. Plures quoque universitates europaeae cum illa idem sentiebant. Itaque ecclesiae polonae pacer senatus elegerat potius neutri parti adhaerere, quam opinionibus fluctuare et una parte approbata, alteram reprobare. Omnia beneficia vacantia, juxta decreta concilii basileensis, gratiis apostolicis non praevalentibus conferebant. Collationes quoque eorum schismate sublato nullatenus fuerunt impugnatae.

1442

cf. Dlugosz T. l. p. 768.

Hoc anno concessi sunt per sedem apostolicam et papam conservatores jurium et privilegiorum academiae: Episcopus Cracoviensis, Abbas Clarae Tumbae et Decanus Gnesnensis ecclesiae. Privilegii hujus tenor hic poni deberet.

NB.

Vladislaus rex Hungariae et Poloniae cum Helisabetha opera cardinalis Juliani de Caesarinis componit. Cui compositioni et foederationi regina non diu supervixit; hoc ipso enim anno extincta est, novum autem bellum exortum. Bohemi(?) enim, qui pro Helisabetha arces et partes Hungariae tenebant, ad Fridericum imperatorem pro parte Ladislai infantis, defecerunt.

Rege in Hungaria degente, res Polona male habere coepit. Praecipua enim nobilitate regi in Pannonia assistente, latus nudum Podoliae et Russiae Scythis ad invadendum et vastandum patuit. Vladislaus quoque pro impensis sibi in regni Hungariae militi polono officiis, omnia pene regalia bona vel prodige alienaverat, vel gravi aere alieno oneraverat, cancellariis regni omnes donationes, omnes alienationes et obligationes quantumcunque prodigas et impertinentes, propter munera, quae illis offerebantur, in acta publica suscipientibus. Sic culpa non in solum donantem, sed etiam in ministros status maxima, damnum autem in communem patriam maximum

1442. derivatum est.

1443. Rectore M. Thoma de Strampino.

Rex Vladislaus in Rascia ad fluvium Moravam 30,000 Turcorum caedit, 4000 capit. Civitates Bulgariae recuperat, peragrata Romania in Macedoniam movit. Multis proeliis devicto hoste triumphator nudis pedibus signa hostium Budae in ecclesia B. Virginis cum gratiarum actione et hostiis Deo Victori reposuit. Impetravit Turca mox pacem apud Vladislaum, quae ut illi firmior esset petiit, ut ad sacram hostiam rex juraret foedera non rumpenda. Obstitit huic iniquae petitioni M. Gregorius a Sanok, qui tum erat a latere regis, solaque membrana scripta Turco concessa est. In Hungaria et Polonia terror terram ipsam insolitus adeo concussit, ut plurima aedificia corruerent, fluviorum undae absorberentur, testudo templi D. Catharinae in civitate Casimiria ad Cracoviam ratis firma corruerit. Post cum gleba sterilis, totum, paleas et invisum ante germen, quod Polonis sinicé dicitur, terra polona produxit.

1444. M. Bartholomaeus de Radom S. T. D. Rector bis fuit.

Multorum regum et principum suasu, summi Pontificis absolutione a juramenti, quod Turcis fecerat, nexu, rex Vladislaus ob bonum totius Christianitatis et liberationem fidelium, foedus ictum rupit, ingentique comparato ex Polonis et Hungaris exercitu, Turcam bello lacessit, oppressus autem multitudine hostium a Joanne Huniad et Valachis, quorum despota, viso regii exercitus respectu multitudinis Turcicae a pugna abstinendum et in Hungariam remeandum suaserat, defectus ad Varnam gloriose pugnans occubuit. Fuse bellum istud describit Dlugossus ejusque singulas circumstantias. Eum si placet vide libro XII ad annum praesentem. Duo nonnisi ex illa clade in Poloniam evaserant Acorum amici (?) M. Gregorius a Sanok post archiepiscopus leopoliensis et M. Paulus de Grabow, post in episcopum chelmensem promotus. Reliqui militares numero fere quatuor nonnisi.

Inter captivos apud Adrianopolim recensitos duodecim juvenes formae praestantissimae caesari Amurathi in thalamum deputati, ne probro genti forent, in necem ejus conspirarunt, inter quos unus Bulgarus, turpem vitam honesto praeferens, cum de conspiratione Polonorum in mortem suam, eundem certiorem reddidisset, caesar ira percitus dum eos invadit, vix ex eorum manibus evasit. Ingruente vero in illos multitudine janicerorum, thalamo inclusi, se ipsos mutuis

mutuis vulneribus confecerunt. Pulchro exemplo, quanti fides Christiana 1444.
et pudicitia sint facienda.

M. Rectore Stanislao de Lysino. 1445.

Casu regis Vladislai vulgato moeror ingens populos sibi subjectos, maxime tamen fratris Casimiri pectus laminavit, quod fratre carissimo, gentes scuto fidei et altero Hercule ad excidendam Turcicorum monstrosam multitudinem orbatus esset. Diu multumque ad suscipiendum regni diadema reluctabatur, ne fraternum amorem violare videretur, summeque in id Lituanis adlaborantibus, ne, si regnum capesseret, Lituaniam negligeret, redirentque in eam Vitoldi et Sigismundi ducum tempora, quae degustata polona libertate Lituani pejus angue execrabantur. Eo autem cunctationis processerat artibus Lituanorum Casimirus, ut Poloni, taedium non ferentes, Boleslaum, ducem Masoviae, in regem Poloniae, nisi cunctationi repudium mitteret, sibi nominarent, prudenter electionis suae denunciatione suspensa, donec Casimirus, viso ad regnum impari candidato, ad saniora consilia, quod postea factum est rediret.

Anno 1446 M. Stanislaus de Sobnow C.C. rector, qui dudum 1446. fuit in concilio basileensi, cum M. Joanne de Juniovladislavia, scriptore concilii basileensis et notario Felicis V, orator. (nomine univers. tabis.)

alii l. Dicit Stanisl. de Sobnow fuisse praepositum tordentinum C. Crac. et Ptoc. scholast. pomaninf.

Statuta universitatis studii cracoviensis reformata per totam universitatem, nullo contradicente, exceptis duobus: de primaevitate scilicet et laboribus, de ecclesia S. Floriani, quae ad moderandum suspensa sunt ad generalem convocationem omnium doctorum et magistrorum, die Mercurii Vta octobris approbavit et confirmavit.

Sequenti autem commutatione fuit Joannes Dambrowka S.T. Licentiatus egit rectorem. Hic in abusus fenium in universitatem irrepentes, censor acerrimus, IV Aprilis vocata universitate statuit, ut in amplius decani rationem reddant rectori et aliis decanis, neve sibi quisquam privata auctoritate pro laboribus precium sumat, sed de eo universitatem requirat.

Sacro durante concilio basileensi exorta fuit differentia inter concilium et Eugenium papam, et propter inobedientiam Eugenii papae, qui nitebatur concilium sacrum dissolvere. Concilium autem Eugenium a papatu deposuit. Totus fere mundus adhaerebat concilio, praeter Italiam. Mortuus est autem Eugenius hoc anno, cique in papatum successit Nicolaus V, dum adhuc Felix V electioni suae non renuntiavisset factae per totum concilium.

Anno 1447 rectore Jacobo de Zaborow et pro sequenti commu- 1447. tatione M. Jacobo S.T.D. praeposito S. Hedvigis in ponte regali.

1447. – Eugenius papa VII kalendas Martii obiit. Nicolaus V in ejus locum sufficitur.

Casimirus, Magnus Dux Lituaniae tandem a matre persuasus in crastino S. Joannis Baptistae in regem Poloniae inunctus et coronatus est. In cujus ad urbem adventu Clara Tumba conflagravit, omine non falso, quod clerus igne tribulationis in suo principatu esset probandus, uti re ipsa evenit.

Feria quinta post Visitationis B. V. festum proposita in comitio quaestione: cuinam ex duobus, qui se pro summis pontificibus gerebant an Felici V per concilium basileense electo, pro quo Marcus Bonfilius et Mgr de Sobnow agebant, an Nicolao V, qui cum solis literis Roma datis postulabat. Rex nomine suo et regni ad Nicolaum declinavit et ad legationem Petrum Wiszota et Petrum de Szamotuly, ut haec tria illi impetrarent: 1° omnium beneficiorum ecclesiasticorum collationem, 2° decimarum decimationem per totum regnum ad sexennium, 3° denarium S. Petri in annos aliquot percipiendum, destinavit.

Magistri et Doctores Universitatis Cracoviensis accesserunt Regiam Majestatem, petentes, ut non praecipitaret in obedientia, sed in suspenso maneret ad unum annum, quod nullo modo efficere poterant.

1448. Anno 1448 Eodem Jacobo S. T. D. praeposito S. Hedvigis rectore.

n. 6. 2. pa. l. habet S. T. P. S. Hedvigis Fratrum Ordinis S. Sepulchri praeposito.

Rex autem advocatis in senatum Magistris et Doctoribus Universitatis, quaerebat ab eis, quare se dividerent a regno, cum ~~ipse~~ Rex et totum regnum obedirent papae et Universitas ~~eadem~~ nollet obedire, sed staret ~~in~~ cum concilio basileensi. Magistri autem et Doctores Universitatis stantes ante ~~conspectum Regiae Majestatis~~ Regiam majestatem responsionem optimam fecerunt, dantes responsum pro prima vice. Secunda iterum vice stantes ante Regiam majestatem et consilium, Regis (K. Kap.) praesente legato, iterum eodem responderunt: se non posse facere, sed petebant D. Regem, ut ad alias Universitates vellent dirigere et informari ab eisdem. Si vero eorum rationes essent efficaciores pro obedientia sacri concilii, juxta tractatum ipsorum compilatum et toti mundo notificatum ad obedientiam Papae nollent consentire durante s. concilio. Iterum tertia et quarta vice vocati ad regem: an vellent obedientiam papae praestare, ipsi bene deliberantes, cum magna mansuetudine et pietate protestantes coram Deo et Beata Virgine maria, et B. Stanislao, patrono, et omnibus sanctis, non posse hoc facere responderunt. Rex autem praecepit eos abire. Nuncius autem Papae petebat ~~regem~~ dominum et dominos, ut Magistri incarcerarentur, ~~et~~ et ipse vellet eis recipere beneficia ~~ecclesiastica~~ spiritualia et eos inhabilitare. ~~inhibere~~. Quod Rex cum dominis ~~tamen~~ nullo modo permittere voluerunt. Nicolaus autem papa audiens talia non

A. Dlugosz II. p. 40.

mi mo K. Krak.: E si melioribus et fortioribus rationibus possent adduci ad obedientiam papae, vellent sequi alias universitates.

non bene ~~fuit~~ stetit contentus de nuntio suo, quod taliter talia cum universitate egit. Veniens Romam papam (sic!) ~~cum audire non poterat~~ adire non bene poterat, et prae tristitia nimia extinctus ~~exhaustus~~ est ~~et~~ mortuus. (: I w Kalendarzu perg. Kapituły Krakowskiej z t. r. zapisane tak jest jak w matrykule ros. tamże str. 39:)

Roma, redeuntibus regis Poloniae oratoribus adjunctus erat a Nicolao papa ad Casimirum legatus Joannes Baptista, qui Lublini in comitio, laudata regis in sedem apostolicam devotione, loco muneris praesentavit regi nomine Papae rosam auream, privatim vero bullam super nonaginta nominationibus ad beneficia, in subsidium autem contra Tartaros decem millia florenorum a clero exigenda. Praecurrens autem adventum regis aliquot diebus ad urbem idem legatus solennissime ab omnibus est exceptus, tanquam Sedis Romanae legatus. Universitas tamen Cracoviensis nullam ei, etiam monita et rogata voluit facere reverentiam propter tractatum, quem, profitendo veritatem, condiderat, et in quo concilium basileense rite congregatum, legitime Felicem V eligere potuisse demonstrabat. Fremebat praedictus episcopus Camerinensis legatus contra universitatem, iramque tenere non potuit, sed apud regem et senatum eandem accusavit, decreveratque apud se plures de universitate, de consessu regis et regno ejicere, nisi cardinalis Sbigneus obstitisset, qui consilium suppeditavit, ut eos ad regem deferret. (cf. Dlugossii ed. lips. II. 40. D.). +)

Interea temporis Basileae concilium Martini V decreto inchoatum convenientibus ad illud Hispaniae, Galliae, Germaniae, Poloniae, Pannoniae principibus, episcopis et legatis, qui communem rei Christianae salutem in sanctis concilii ponebant, continuabatur. Eugenius concilium istud solvere adorsus, Bononiam idem transtulit. Verum Sigismundus imperator aliique et clerus, qui Basileae erat, non modo Eugenio non obedivernut, sed etiam eundem bis terve monuerunt, ut Basileam cum suis cardinalibus, utpote locum magno judicio a Martino V delectum veniret. Cui si contraveniret acturos auctoritate concilii contra contumacem. Motus his rationibus Eugenius basileense concilium, literis apostolicis confirmavit, et cuivis ad idem concilium veniendi potestatem fecit.

Non diu tamen post ut Bononiam venit basileense concilium quod ante probaverat Ferariam transfert hac maxime de causa, quod diceret Graecos cum Ecclesia Romana conventuros, eundem locum sibi delegisse. At concilii basileensis praesidentes et precibus et precio invitabant Graecos, ut omisso Eugenio ad se venirent, et nisi Eugenius

Okoliczności tę Radymiński przepisał z matrykuły drugiej Uniwersytetu fol. perg. gdzie nakoniec z jobl. (: prawkami, jakie powyżej, powyższem jest zapisana. Zaczyna się zaś jak następuje: Sacro durante Concilio Basiliensi exorta fuit differencia inter sacrum concilium et Eugenium papam et ~~eundem Eugenium~~ ‡ a papatu deposuit. Totus fere mundus adhaerebat concilio praeter Italicos. Eo autem mortuo in papatum Nicolaus quartus (sic. (: w Kalend. tak) successit tunc anno MCCCCXLVII. Serenissimus Dominus Rex Casimirus una cum praelatis spiritualibus et dominis secularibus ac baronibus obedientiam praestabat domino Nicolao papae: Magistri et doctores Universitatis Cracoviensis accesserunt Regiam Majestatem, petentes, ut non praecipitaret in obedientiam, sed in suspenso maneret ad unum annum, quod nullo modo efficere poterant. Sequenti autem anno quasi eodem tempore, venit quidam nuncius papae aut legatus, sed non a latere, Joannes Baptista nomine, qui apud Regiam majestatem laborabat, ut Universitas etiam obedientiam praestaret. Rex autem et domini spirituales et seculares, advocatis magistris et doctoribus universitatis, quaerebant ab eis, etc. Reszta jak wyżej pod znakiem ß

‡ et propter inobedientiam Eugenii papae, qui nitebatur dissolvere concilium Sacrum Concilium eundem Eugenium a papatu

+) w metryce II. perg. fol. 114 verso, tojest na końcu, zanotowano: Anno Domini MCCCCXLVII. XXVII mensis Junii intrante Serenissimo principe et domino Casimiro rege in Cracoviam, adjunctus erat idem legatus papae regi ad latus, cui magistri occurrentes, cum post S. Florianum susceperant, legatum autem papae suscipere noluerunt, multis admirantibus et stupentibus. (: cf. Miechovita (:

ipse ad eosdem accederet, depositurus se eundem de sede Petri nunciabant. Substitit aliquamdiu animi dubius Eugenius, quid ageret, et legatum ad concilium basileense misit, qui in eodem causam ejus coram patribus defenderent. Ut autem Sigismundus imperator mortuus est et Albertus, Austriacus, caesar creatus, illico Eugenius per cardinalem Sanctae Crucis Ferrariae concilium inchoavit, quo et imperator orientis Joannes Paleologus descendit, ab Eugenio non aliter, quam Romani imperatores, exceptus.

Eugenius itaque sequentibus annis nempe 1437 et 1438 duas ecclesias jam pridem dissidentes in unum corpus redire cupiens, indicta omnibus supplicatione ad divorum pulvinaria solenni, concilium una cum imperatore et patriarcha constantinopolitano ingressus, sedente imperatore et Graecis e regione pontificis. Primo quaesitum est. Vellentne tam Latini quam Graeci ex duabus ecclesiis jam pridem dissidentibus unam fieri. Ad quam vocem, unanimiter omnes succlamaverunt. Placere et velle, modo rationibus illa confutentur, quae tantae discordiae causa fuerunt. Delecti ad eam rem tam Graeci, quam Latini doctores acerrime multis diebus disputabant. Quum autem pestis Ferrariae invalesceret, Florentiam concilium translatum est, ubi habito saepius in ecclesia cathedrali conventu, discussaque Graecorum et Latinorum contentione, tandem eo ventum est, ut Graeci Spiritum S. a Patre et Filio procedere homousionque esse, non a patre tantum procedere, atque in azymo sive fermentati pane triticeo corpus Christi consecrarent, purgatorii locum esse crederent, ac postremo Romanum pontificem verum esse Christi vicarium et successorem Petri primum in orbe locum tenere, cui merito orientalis et occidentalis ecclesia pareret, faterentur. Sic cum Graecis re composita Armeni quoque in fide nostra convenere, sublatis eorum per crebras disputationes erroribus. Ac ut compendio totam hic tragoediam perstringam turbatae ecclesiae res istum processum habuit. Fatis absumpto Martino V. P. m. cardinales antequam conclave intrarent certa puncta scripto comprehenderunt, quae futurus papa, quicunque electus fuisset, servare deberet. Itaque ea omnes juramento se servaturos promiserant; Inter quae illud erat praecipuum, quod concilium juxta determinationem synodi constantiensis et designationem Martini V praedecessoris

praedecessoris et reformationem in capite et membris procuraturus esset. Gabriel Codelmarius, Venetus, electus tum fuerat in summum Pontificem Eugeniusque IV fuit nuncupatus. Is juxta juramenti facti tenorem concilium Basileae indicit et eo suum legatum mittit. Dato rite initio concilii, cum in eodem multa perperam egisse Eugenius accusaretur, citatur ille, ut se judicio sistat ecclesiae. Ille vero concilium Basilea in Italiam Florentiam transfert. ?
In contumacem formatur processus, tandemque deponitur et in ejus locum Felix V a concilio in papam eligitur. Hic cum concilio basileensi cum ad alios, tum ad regnum Poloniae et Universitatem Cracoviensem nuncios quatuor mittit, quorum tres erant antea ad concilium nomine ejusdem universitatis missi, scilicet: illi M. Marcus Bonfilius M. artium, M. Stanislaus de Sobniew, praepositus tridentinus, Derslaus de Borzynow D.D. quibus additus erat nobilis Guilhelmus de Parma, requirens, quid de auctoritate concilii, de electione papae in concilio facta, et de depositione Eugenii in eadem synodo facta, sententiam et judicium. Res delata doctoribus universitatis theologiae et juris, quorum primus erat Joannes Elgot D.D. C.C. et Officialis Cracoviensis, alter M. Jacobus de Paradyso, Abbas Cisterciens. S.T.D.; tertius Laurentius de Ratibor, quartus M. Thoma de Strempino, quintus Benedictus Hesse, qui omnes tractatus determinationes, quisque pro suo sensu scripserunt et ex omnibus istis unum tractatum generalem compilaverunt, quem Sbigneo Olesnicio, cancellario et episcopo cracoviensi, praesentarunt. Nec minus in Polonia apud regem et senatum egerunt, ut sua esset concilio auctoritas, et ad minimum rex neutralitatem servaret cum regno, neve in obedientia praestanda Nicolao V praecipitaret. Sbigneus nomine cleri poloni et universitatis M. Joannem Elgot ad concilium basileense et Felicem V papam cum titulo oratoris legavit, dans in commissis, ut responsionem cathegoricam referret postulanti concilio et testimonium veritati, quod doctores universitatis perhiberent. Quae quidem responsio senario numero, qui perfectus est, inter monadicos comprehensa fuit, haec potissimum attingendo: I. Profitebantur in ecclesia universali et consequenter in concilio generali legitime congregato, ipsam repraesentante, supremam supra omnes homines viatores, etiam supra papam, esse potestatem. II. Concilium basileense in Spiritu S. legitime congregatum et universalem ecclesiam versaciter repraesentasse fuisse. III. Papam olim Eugenium praedictum concilium dissolvere non

non potuisse, et dissolutionem de ipso per eum attentatam de facto nullam fuisse. IV. Concilium praedictum basileense nondum dissolutum esse. V. Depositionem olim Eugenii papae et electionem D. Felicis ad summum Apostolatus apicem, per ipsum concilium factas, justas, legitimas, et canonicas fuisse et esse. VI. Omnes Christi fideles praefato Dno Felici tanquam unico et vero summo pontifici de necessitate salutis subesse debere. Orator, quod in scriptis habuit, hoc etiam disertissimo ore in facie Summi Pontificis et concilii exposuit, Tractatumque universitatis cracoviensis ea de re praesentavit. Ad extremum pro cardinalitio galero nomine episcopi cracoviensis, quem ab Eugenio non susceperat, gratias egit. Non poterat non esse grata custodum fidei in septemtrione auctoritatis concilii defensio et ipsiusmet oratoris, viri alioqui sapientissimi legatio. Is enim multoties in concilio existens diu ecclesiasten egit, ut ejus testantur relicta in manuscriptis monumenta. Cum vero tractatus Cracoviensium per multorum manus exemplaria volitarent, Eugenius quoque suam innocentiam scripto vulgato defendit, illudque ad universitatem Montispessulanam direxit. At in continenti scriptum concilii basileensis 1440 responsivum prodiit.

Mortuo vero Eugenio, sacro autem durante concilio basileensi, cardinales Romae eligunt sibi papam Nicolaum V nuncupatum, qui operas Juliani cardinalis imperatorem et alios reges pertaesos tot turbarum in partes Nicolai impulit. Turbatum autem est non minus quam antea, praesertim in Polonia Universitate Cracoviensi adhaerente concilio basileensi et Felici papae, ut infra legere licebit, donec ultro in concilio Lausanensi Felix papatu cessit.

1449. M. Nicolaus Belina s. Th. lic. rector fuit, qui ex serie et ordine post mortem Jacobi de Zaborow canonicatum ecclesiae cathedralis habuit. Karnior ex voluntate universitatis magistro Michaeli de Seydlow contulit, quem ille tamen propter certas causas, impetratis aliquot decimis ilico resignavit. Datus itaque est canonicatus iste doctori Poniewski.

M. Matthia de Labyszyn supremo Academiae Cracoviensis scholarcha, – Mgr. Georgius de Michricze ob illatam injuriam facto et verbis M. Dno Rectori pro tribunali sedenti exauctoratur gradu baccalaureatus in jure. Appellat ille a subsellio academiae Romam

Tal. addidit et proscribitur.

Romam, verum durante tunc schismate inter Felicem IV et Nicolaum 1449
V pontifices maximos debuit appellationem prosequi ad episcopum cracoviensem.

Amadaeus, Sabaudiae dux, olim Felix IV nuncupatus resignavit papatu et in Nicolaum V consensit, reservata sibi pensione 15000 scutatorum de Camera Apostolica solvendorum.
Sbigneus Olesnicki olim ab Eugenio et Felice pontificibus, nunc quoque a Nicolao V inter purpuratos patres adscribitur. Cui capellum se detulisse Dlugossus in sua historia memorat.

Petricoviam cardinalis Sbigneus in comitia veniens occasionem praebuit magnae controversiae cum archiepiscopo gnesnensi. Quinam scilicet eorum prior in senatu locum occupare deberet. Sed haec lis decreto regis brevi sopita fuit ea moderatione adhibita, ut quoties cardinalis esset in senatu, toties archiepiscopus senaculo (sic) abstineret, et vice versa.

M. Benedictus Hesse in rectoratum sublatus, habita universitatis con- 1450
vocatione, statuit, ut duo stamina panni ad tabarda conficienda per universitatem compararentur, quae qui ex professoribus ad usum accepissent, ea intra annum solvere tenerentur.

Sellae etiam pro graduandis in theologia et aliis facultatibus tum et ad alios actus, qui in ecclesiis celebrarentur comparatae, a quarum usu media marca fisco universitatis cederet, grossi autem sedecim pro custodia earundem et accommodatione servitoribus universitatis.

Ortam quoque controversiam de prioritate loci inter Joannem Dambrowka et Paulum de Cracovia s. th. prof. eo quod Paulus prius promotus esset, universitas sic sopivit. Quia Joanni locus reservatus etiam ante Isaiam (B. Boner s. th. d. (haec ad marginem auctor adjecit)) dum promoveretur in theologia, fuerat, ideo ejusdem reservationi standum esse censuit.

Ordinaria medicinae collata M. Bernardo de Cracovia, quia vero domum medicam inhabitare noluit, constitutae sunt quatuor marcae, quas universitas illi solvet.

Die XXVIII augusti data fuerat per rectorem⌈ convocatio tenoris sequentis: ⌈Bened. Aun Hesse
V. magister et D. doctor, sitis hodie hora XX in stuba communi magistrorum collegii artistarum ad audiendam petitionem V. viri fratris Jacobi de Bydgostia, professoris s. th. ac prioris monasterii S. Trinitatis sub poena non contradicendi; et prout diligitis bonum universitatis. Detur magistris theolo-

1450 theologiae, doctoribus juris promotis et collegiatis. In qua convocatione idem V. vir Jacobus hanc subjunxit petitionem: Venerabiles et Reverendi Almae Universitatis Doctores et Professores! Quum in aliis universitatibus, nominatim in parisiensi, coloniensi, fratres nostri ad incorporationem admittuntur, ita et vos ut ordinem S. Dominici per Poloniam longe lateque diffusum recipere velitis, oro.

Super qua postulatione et petitione Magistri et DD. vicibus duabus vocati et bene deliberati incorporationem dictam Fratrum Praedicatorum admiserunt sub his modis. I. Quod unusquisque praedicti ordinis frater studens, vel promoveri in nostra universitate cupiens, aut promotus incorporari volens, praestet juramentum consuetum rectori pro tempore existenti. II. Quod quilibet promoveri volens in aliqua facultate, promoveatur secundum statuta illius facultatis; Magister vero in theologia promotus in eodem ordine petat totam universitatem pro sua hujusmodi acceptione. Et ratione istarum conclusionum V. Frater Jacobus petiit se recipi et admitti pro magistro in theologia et sibi locum dari; quod et factum est postquam tamen prius actum fecerit solemnem in universitate, quem alii magistri et doctores professores aliunde et ab aliis universitatibus venientes consuetudine admittentur. (Concl. Univ. p. 13.)

Rex Casimirus scrutinium ad pellenda maleficia et furta alias rugowe prawo in regno instituere volebat. Impediverunt illi proceres, quos criminum arguebat conscientia.

In Valachia nomine regis a Polonis pro Ilcone contra Heliam infeliciter pugnatum, amissaque est Moldaviae possessio ob absentiam regis.

p. a. d. h. quae in ejus rectoratu circa universitatem contigerint, videre mihi non licuit.

Commutatione sequenti delata fuerant sceptra academiae magistro Andreae de Ladowic (?) J. U. D.

1451. M. Benedicto Hesse rectore, V. vir M. Joannes de ~~Olgot~~ Elgoth J. U. D. domum suam inter ecclesiam S. M. Magdalenae et Collegium Canonistarum immediate sitam, aere proprio in muris erectam, in fundo quidem universitatis, at se tamen fundatam, ~~almae~~ universitati pro domo ordinarii in jure canonico libere et liberaliter resignavit. (Concl. p. 14.)

In eadem convocatione Universitas inviolabiliter tenendum sancivit ut pro lectoribus, sicut antea[+], recipiantur viri periti et ingeniosi, eloquentes et traditivi diligenter et affectum ad labores habentes, per quos facultas dicta canonica proficiat et exinde universitas decorem et ornamentum referat. Quorum, si quispiam per universitatem electus et labori scholae

[+] et in antea (stoi w Konkluzyach p. 14

augmentum reportaret (stoi w Concl. p. 14)

scholae illius deputatus segnis et indiligens ac et perfunctorius in suo labore 1451.
esset repertus ita et quod ex ipsius illius labore schola praefata canonica non proficeret, Universitas jam dicta, praemissa trina monitione canonica, si se non emendaret, habebit liberum post, hujusmodi segniter laborantem et non proficientem, sibi salarium sibi deputatum in pecuniis, aut in sui beneficii decimis arestare, et alterum magistrum utilem universitati eligere et ad locum suum ponere, ipsius contradictione aut contumacia sine injuria non obstante. Et quia lector ordinarius inter hujusmodi lectores est primus et praecipuus, placuit praesumptae Universitati, ut caeteris sit diligentior in sua operâ, alios ad diligentiam provocet et laborem, secundum dictamen statutorum legat diligenter (una hora cum media, disponat fieri saepius repetitiones propter studentium exercitium et profectum, singulis diebus legibilibus legat diligenter.) non perfunctorie, non faciat sibi festivitates de non festivitatibus, non quaerat occasiones aliquas, quominus legat; quoniam sic per suam negligentiam daret omnibus aliis lectoribus occasionem et causam scholas negligendi, sub poena in eodem statuto praescripta. (: Concl. p. 14.)

Commutatione hyberna rectore Joanne Dambrowka, mgr. Paulus de Praga Doctor Artium et Medicinae admissus est ad jura universitatis, praestito solito juramento.

Commutatione aestiva fuit electus in rectorem Mgr. Joannes 1452.
de Pniew, archidiaconus cracoviensis.

~~Licat hic ex Dlugossi historia miraculum defensae innocentiae~~ et castigatae blasphemiae exscribere. (Hoc prodigium lege sis ap. Dlugossum II, 104, C. edit. lips.)

Commutatione hyberna M. Joannes de Slupca s. th. pr. Rector.

Commutatione aestiva rectoratu M. Nicolai de Kalis J. U. D. statutum est, quod deinceps statuta de rationibus per praecedentem rectorem sequenti rectori faciendis et de reponendis et conservandis pecuniis universitatis in una cista communi sub clavibus rectoris et decanorum realiter practicetur. (: Concl. p. 15.) 1453. die XVIII. m. Maji.

Post mortem autem Jacobi de Zaborow D. D. provisor bursae pauperum et munimenta altaris in ecclesia S. M. Magdalenae ab executoribus ejus Paulo de Zator et Benedicto Hesse repetantur. Ne vero litibus occupati professores a scholasticis laboribus praepediantur de fisco universitatis et per ejusdem procuratorem, professorum lites promoveantur. (: Concl. p. 15.)

Sub id tempus Vladislaus de Oporow olim professor noster, tunc archiep. gnesnensis die S. Mauritii (9 maji) obiit. Capitulares Jacobus de Sienno, praepositus et M. Jacobus Kotus decanus gnesnensis in Lituaniam ad regem abierunt, Kotus (sic)

1453 petentes, ut capitulo libera electio futuri praesulis cum sua bona gratia foret. Rex nolle se quidquam novi in hac re statuere praelatis et baronibus pro futura diaeta in Parczow celebranda futuris, inconsultis, respondit. Cum tempus electionis prope elaberetur, ne per sedem apostolicam aliquis, quem nollet capitulum, intruderetur, Joannes de Sprowa duodecim calculis, M. Thomas de Strempino th. in academia professor decem calculis ad primatialem sedem fuerant delecti et regi praesentati, a quo literas ad sedem Apostolicam pro alterutro necessarias petierunt. Rex negato consensu in Thomam, contra votum omnium zelum domus Dei habentium favorem suum Joanni impendit. Favisset summus Pontifex sine ullo dubio magis Thomae, quam Joanni, quippe qui ejus doctrinam et ingenii praestantiam dudum habebat cognitam. Verum Thomas propter bonum pacis electioni suae renuntiavit, ne furor regis in sibi adhaerentes exardesceret. Auctor ~~tamen~~ autem pacis ipse Deus aliam sedem, si non dignitate, certe meritis majorem, Thomae praeparabat, volebatque tunc ad~~huc~~ in academiae spatiis eundem retinere, donec adolescerent, qui ejus locum in professione theologica academiae cum dignitate occuparent.

Die s. Pentecostes Constantinopolis orientalis imperii caput a Constantino M. condita sub Constantino Palaeologo, ejusdem nominis patriarcha et consorte imperatoris, ob religionem, quam nuper in concilio florentino servaturos se promiserant temeratam, jugum machometicum et pro crucibus Christi in tholis et pinnaculis templorum et turrium lunam Sarracenorum, amisso imperatore et imperio, accepit. Cujus excidium cum multi describant, ab eo hic abstineo.

Joannes Capistranus D. Francisci et Bernardini sodalis, invitante Sbigneo cardinali, campum late patentem ad spargendum verbi divini semen, nactus Cracoviam, rege, matre regina et cardinali sibi obviam venientibus, in domo Georgii ~~Swortz~~, quae nunc suffulta dicitur prope academiam devertit. Obtenta venia, duabus horis quotidie latine ea vehementia praedicavit, ut angelus potius, quam homo putaretur. Ad ejus verba centum academiae cum professoribus studiosi, inter quos Joannes Melsteinius, nobilissimus adolescens a summis opibus ad arctam paupertatem, calcata vitae praesentis vanitate, aeternae consequendae gratia, religionem Franciscanam sunt amplexi.

Swortz

Prussicae quinquaginta sex civitates a Cruciferis oppressae, se suaque omnia in protectionem regi Casimiro deditae, in multorum bellorum segetem Po-

Poloniae exciverunt. 1453.

Commutatione hyberna rectore M. Joanne Dambrowka denegata solutio censuum ex universitate minoribus collegis, qui in domo collegii minoris postica lignea manebant, quae eorum antecessoribus solvebatur, nam de hoc nec statutum, nec consuetudo extabat. Mgr. Michael de Crosna, a sententia rectoris ad universitatem temere appellans, punitur juxta statuta et privilegia.

M. Jacobus de Lisow existens in facultate artium et promoveri cupiens in licentiatum juris, obligat se juramento rectori, non deserturum ~~spatam~~ philosophiam in praelegendo ~~et~~ exercitando, disputando per se non per vicarium et quod in nullo se eximere seu aliis praeferre, nec contra statutum desuper factum, aliquid facere velit.

Die 9 februarii rex cum Elisabetha Austria nuptias celebravit. vit simulque cum proceribus regni consultavit de pecunia ad prussicum bellum paranda. Placuit itaque, ut rex, saecularis et spiritualis ordo, medium annuorum censuum ferret, oppidani binos grossos a ? marca penderent, agrestes unum grossum in capita marum et feminarum ? Equites, qui nullas possessiones haberent, viginti tres grossos. Aurum insuper et argentum ecclesiarum ex aliquibus dioecesibus, praetor Cracoviensem, conflatum est et in stipendiarios expositum.

Episcopi Prussiae Culmensis, Pomesaniensis, Sambiensis et Capitulum varmiense, abjecto regis permisso habitu crucifero, saecularis nostri cleri ritu vestiri coepit.

Commutatione aestiva, rectore Benedicto Hesse XXIX Julii Romae 1454. contra rectorem monitorium obtentum et eidem intimatum fuit. Cum autem ad caput defendendum omnia membra concurrere soleant, conclusum est in universitate ex fisco communi tam procuratorem, quam impensas litis providendas contra M. Brzeher, S. Annae plebanum, actorem in ? hac causa. In advocatum et patronum causae electi M. Derslaus de Kar-
NB. pricze J. U. D. una cum M. Andrea Strzycz, quibus pro impensis annu-? atim assignati 24 fl. imo 30 et 32. Ne vero per mutationem rectoris et decanorum causa periclitaretur, aut defectum pecuniae pateretur, commissa est eadem causa M. Paulo Puskowski, Joanni de Stupca S. T. Prf. et Nicolao de Lanka, procuratori universitatis, qui de sumptu et necessariis providerent. (Concl. p. 17.)

Eodem tempore V. Capitulum Cracov. cum consensu Rmi Sbignei domum pauperum seu bursam canonistarum, quam Longinus cum rectore comparaverant, collapsam universitati gratiose contulerunt et incorporaverunt, quam universitas muris et aedificiis erectis, collectis 30t marcis in manu, alio loco ~~habet~~ 30 mr.

1454. M. Nicolai de Kalisz, Pauli de Zator J. U. D. et C. C. restauravit. (p. Cornel. p. 17.)

Die XV Septembris M. Stanislaus de Sihadek in convocatione universitatis proposuit contra Nicolaum Ligatoris, quod villam suam Sidzina dammnificasset, dignusque esset, qui villa pro poena spoliaretur. Injunctum itaque est convicto, ut laboret, dictumque fundum, quam poterit optime, curet, alias omne damnum, quod universitati ex sua negligentia obvenerit, eidem universitati debebit refundere. (p. Cornel. p. 17.)

Fuit prima expeditio regis in Prussiam, cui, obsidenti Mariaeburgum, astronomi cladem denuntiant, quae in astris praesignificata a Deo potius propter scelera exercitus in ecclesiis patrata, quam ab astris profecta sunt. Mors enim in plurimos, pavor in omnes diffusus, exercitum loco movit. Casimirus vix non in manus hostium venit, plus autem ignominiae, quam cladis nostro exercitui illatum est. Correptus est rex a Sandivogio Mgro Studii Cracoviensis, canonico gnesnensi, more Nathan prophetae, ut legere poteris apud Dlugossum et in nostris fastis sub litera S. (Conf. Dlugossi Hist. Pol. T. II. p. 161. C. ed. lips.)

1455. Commutatione aestiva, rectore M. Nicolao Bylina S. T. P. inscriptus est in metricam studentium Alexander princeps Alexandri ducis de Russia, et Joannes de Pilca, filius Thomae haeredis ibidem.

Hoc anno magna ecclesiae lumina eclypsim passa sunt. Nicolaus V, summus pontifex obiit Romae IX. Calendas Aprilis, cui successit Calixtus III Alphonsus antea nuncupatus. Prima vero Aprilis Sbigneus Olesnicki, Cardinalis, episcopus cracov. Sendomiriae, qui eodem mense Cracoviae in summo sepultus est, appensis tribus capellis, quod a tribus summis pontificibus cardinalis esset creatus. In ejus locum concordibus votis electus est M. Thomas de Strzempino S. T. Professor, feria secunda pentecostes. Post cujus electionem platea Canonicorum et Collegium DD. J. C. et medicorum ignis vehementia conflagravit. Campana Sbiwek dicta ad levem motum fracta est, Gnesnae basilica coelo tacta, globum auratum de fastigio amisit, quae signa erant futurae ecclesiasticorum calamitatis, ut merito noster Thomas diceret: Nihil se in vita stultius egisse, quam quod episcopatum cracoviensem susceperit.

(Margin: ? –)

(Margin: Salis loco habet: feria secunda post Pentecostes hora XXI. venit ignis prope omnes sanctos etc. Conf. Dlugossi Hist. T. II. p. 171. A. ed. lips.)

Commutatione hyberna rector erat Benedictus Hesse.

1456. Commutatione aestiva, rectore Joanne de Pniew, archid. Crac. J. U. D. M. Andreas Ozga (Osszka (p. Kontkow.) de), religiosus de Tynieç, constituitur ab universitate procurator ad expediendam Romae ratificationem et incorporationem universitati duarum ecclesiarum, S. Nicolai extra muros Cracovienses et S. Mariae Magdalenae in Dzierzgana, pro qua dati sunt eidem centum Ungarici, vel quantum camera apostolica exegerit, ita tamen, quod ex fructibus ecclesia-

(Margin: Dzierzàzna (?) u Kontkowzyach Dzierzanszna (p. p. 18.))

ecclesiastici impensa facta universitati ad annum restitueatur. (Concl. p. 18.) 1456.

In lite vero cum Joanne Progker S. Annae plebano constitutus est de novo procurator M. Andreas Grzymala, cui similiter dati sunt 100 ungarici, de quibus pro mense uno caperet sibi per tres florenos. (Concl. p. 18.)

Feria secunda, quae fuerat 1a Martii Vladislaus filius Casimiro ex Elisabetha natus est, cujus ortum praecessit tempestas Cracoviae. Nam senatus Cracoviensis Nicolaum de Turzo, presbyterum et ejus patruelem germanum Nicolaum de Gnoinik C.C. (uterque vero illorum sub vivis et veteribus possessoribus beneficia impetraverant) de furto suspectos capi mandat, qui dum conscientia urgente ex monasterio D. Francisci diffugerent XV februarii comprehensi et in praetorium perducti, equuleo poena examinati, furtum, modum, complices, locum, in quo res ablatae delitescerent confessi, sequenti nocte, fures hos Officiali eosdem sibi tanquam suae jurisdictionis homines extradi postulante, gladio inter muros civitatis percusserunt et eorum cadavera eidem reddiderunt. Violatae spiritualis jurisdictionis ergo in civitatem Cracoviensem et ejus suburbia interdictum latum et consules excommunicationis telo fulminati. Tenuit interdictum quadragesimae diebus compluribus, quoad episcopus Thomas regis precibus et satisfactione 300 fl. a consulibus facta placatus, interdictum auferret. Nam et qualitas temporis, et hospitum principum, qui ad baptisandum filium regis invitati venerant, non sinebat ultra poenam interdicti protrahi. Caedes haec sacerdotum credebatur magis jussu regis, quam temeritate consulum fuisse facta. (Conf. Dlugossii II, 183. D.)

Commutatione hyberna idem fuit rector

Ad annum 1456 visum est hic inserere gravem et seriam controversiam duorum in diaeta petricoviensi cum academicis senatorum. Cum enim res pessime valeret publica, jamque de illa a multis conclamatum esset nec in prudentia aut dexteritate regis aliquid spei relictum videretur, cujus lepiditate et negligentia multa aut labefactata jacebant, aut in ruinam prominebant. Non dubitabant pontifices temporis opportunitate uti regique ob oculos ponere praesentia mala ob peccata et scelera, avaritiam, superbiam, pauperumque oppressionem accidisse. Suadebant reformationem morum in melius et in humilitate placandum Deum. Et quoniam Thomas, Cracoviensis episcopus, ut vir erat magnae prudentiae acceptationem regnorum Bohemiae et Hungariae exhausisse privatum et publicum aerarium, sustulisse praeterea multas illustres personas monstraverat, vererique se dicebat, ne Prussia a rege accepta eosdem effectus produceret, Mgr. Sandivogius de Crehel S.T. Prof. can. gnezn. Korabita, vir literarum humanarum et divinarum peri-

1456. peritus et modestiae ac religionis singularis, regem et populum Polonum justissimum bellum Cruciferis intulisse et inferre deducebat, ostendens, Cruciferos terrarum Prussiae nunquam fuisse dominos sed violentos possessores et a principibus Poloniae in suffragium contra paganos advocatos, proprios fundatores et patronos crebris bellis afflixisse et ex eorum haereditariis terris partim dolis et fraudibus eos ejecisse, regemque acceptasse deditionem Prussiae juste et sancte, imo omnes ad eam acceptandam consulere debere. Cladis autem ad Choinicam acceptae ingratitudinem erga Deum causam fuisse monstrabat ex eo, quod cum Deus regem splendidissimo matrimonio ornasset, Polinamque illi Prussia auxisset, nec rex tamen, nec populus Deum glorificaverunt, sed magis peccatis enormibus irritarunt. Adducebat Israelitas etiam jussu Dei contra Beniamin pugnantes cecidisse et conflictatos fuisse donec jejuniis placuissent Deum et vera humilitate, tum demum victores evasisse. Sub finem referebat Demosthenis clamores, quibus exaltabat Atheniense theatrum pro iis, qui in Marathone occubuerant. At ego, inquiebat Thomas, non assevero, belli nos causam injustam habere, paratus in conspectu orbis totius et concilii, eam justissimam ostendere. Sed modum bellandi et tot in eo scelera causam victoriae stitisse, nosque tot mali involvisse Dejo. ~~regalibus et ecclesiasticis~~. Post multa et varia consilia ea conclusio capta est, ut ex omnibus regalibus et ecclesiasticis bonis medietas fructuum pro anno tunc currenti in fiscum communem conferretur. Civitates et oppida a qualibet marca bonorum mobilium et immobilium 2 grossos, cmetones viritim grossum unum contribuant, nobiles cmetones non habentes mediam marcam exsolverent. Rex in capitulo cracoviensi petiit vasa sacra in pignus sibi concedi, restituenda ubi eadem redemerit Thomas, episcopus, veritus profanationem et difficilem recuperationem cum suo clero pro sex millibus a quocunque rex acceperit, se sponsorem posuit, prudenti consilio.

1457. In rectoratu ejusdem Joannis de Pnian, Archid. Crac. M. Albertus Lysiecki, plebanus in Luborzyca, jussus solvere contributionem a rege impositam de media taxa fructuum parochialis ecclesiae praedictae solvit. Ad preces instantissimas apud Universitatem factas per eandem universitatem relevatus est, soluta portione occasione praedictae contributionis sub conditione protestationis, quod haec postea non fient, cum ad id universitas privilegiis sibi suffragantibus non teneatur. / Concl. p. 18. /

Carolus rex Sueciae regno pulsus, a Casimiro Gedani colligitur, datisque auxiliis ad propria expeditur.

Refert sub hoc anno multum laborem Academiae professorum Jacobi Schadek, Joannis Dlugosz, quibus modis solutionem arcis Mariaeburg in rebus angustis regis perfecerint, et qualiter opera eorundem rex ad castri Mariaeburg

Mariaeburg possessionem venerit. Illum vide si placet. (: Vide Dlugossii T. II. 1457.
ed. lips. p. 203. A).

Rector erat M. Gaspar de Cracovia alias Rokenberg Decret. Licent. Scholasticus ecclesiae Cracoviensis. (Commutatione aestivali).

M. Joannes Dambrowka S. T. D. nec non vicecancellarius universitatis, sceptra gessit academiae, hac et sequenti commutatione. 1458.

Die VIII Idus Augusti Romae Calixtus papa moritur ad S. Petri in Vaticano paupere sepultura quatuor nonnisi clericis et totidem ceroferariis comitantibus, at propinquis, quos ditaverat, tot cardinalibus, quos creaverat, extremum officii genus negligentibus, sepelitur. Successorem accepit Aeneam Sylvium, episcopum Senensem, poetam et oratorem eruditum, qui Polonis, propter consuetudinem Germanorum, apud quos in aula Friderici diu vixerat et creverat, parum aequus fuit, ut ex ejus scriptis quivis potest colligere, Pius II est vocatus. Quae de auctoritate concilii super papam ante scripserat et in poësi de amoribus, retractavit, saepius dicens: Pium audite, Aeneam Sylvium, quae juvenis dixerat et scripserat, nolite audire.

Octobris die tertia regi ex Prussia redeunti natus est filius, cui per Thomam, episcopum cracoviensem baptisato, nomen patris Casimiri est impositum.

Idem rector fuit.

Praeerat universitati commutatione aestiva electus Caspar Rockenberg 1459. decretor. licentiatus.

Idem rector fuit commutatione hyberna

Quo magistratum gerente XXVII Decembris die S. Joanni sacro, natus est tertius filius Casimiro, qui per Georgium, episcopum Laodicensem baptisatus, nomen Joannis Alberti ex fonte accepit.

(R. 1459. com. hyem. był rektorem Jan Dambrowka jak widać z pozysp. do 4 króćeria s. r. (: Conel. p. 19:)

Occurrendo autem doctorum neglectui laboris in facultate artistarum, volenti promoveri Joanni de Ilkusz ad licentiam in medicina, non ante concessa est libertas, quam jurasset, se non deserturum regiam professionem et labores ejus, neque se eximere respectu licentiae a quoquam onere idque praestito juramento. (: Conl. p. 19.)

Ad rectoratus magistratum in academia cracoviensi sors evexit 1460. Albertum de Lysicz. Cujus in officio in vivis desiit esse Thomas de Strempino, episc. cracov., vir suo aevo illustrissimus et magnum scholae cracoviensis jubar. In ejus locum M. Joannes Ludkonis de Brzezie U. J. D. archidiac. gnesnen. C. C. a viginti duobus praelatis et canonicis electus est. Tres autem canonici praesentes et alii tres absentes juxta voluntatem regis Joannem Gruszczynium, episc. vladislav. po-

1460 postularunt. Tertius candidatus de dicto episcopatu Cracoviensi per Pium papam secundum M. Jacobus de Sienno provisus est. Quae trium de episcopatu contentio, multas dedit capitulo turbas et canonicis, qui papae favebant, et qui ejus tuebantur auctoritatem calamitates, donec rex, id quod volebat, evinceret. Vocaverat ille quidem anno sequenti pro dominica septuagesima in Piotrkow, tum senatum, tum archiepiscopum gnesnensem, tum universitatis cracoviensis doctores, ut, quid in causa ecclesiae cracoviensis agendum esset, consilia darent. Archiepiscopo vero et aliis plerisque absentibus, suadebant doctores, quatenus rex jus electionis Joannis de Brzezie, suis nuntiis, suaque intercessione apud papam, promoveret, et provisionem Jacobi Sienenski rescindi postularet, facilius postea, electo Vincentio, jus patronatus retenturus. Verum neglecto doctorum et peritorum virorum consilio, ad summum quidem pontificem nuntios M. Matthiam de Raciaz, decretorum doctorem et Joannem de Rytwiany, sendomiriensem capitaneum, misit; at non jus electionis capitularium, verum jus suae nominationis apud papam promovit, eoque processit temeritatis, ut electus Joannes de Brzezie cum suis tribus Joanne Dlugosso utroque et Paulo de Glowina, decano cracoviensi, exclusus fuerit, iste exilium, ipsi proscriptionem et rerum suarum spoliationem passi fuerint, nec ad quietem redierint, donec nuntius papae omnia complanaverit. Jacobus ergo de Sienno consecrationem et confirmationem papae obtinuit, sed a rege cum Dlugosso in arce pincroviensi obsessus, ad possessionem episcopatus non venit. Tandem Joanni Gruszczynio 1462 cessit et Vladislaviensem post eum sedem accepit.

M. Gregorius de Myslowic J. U. D. Archidiacon leopoliensis, Alberti de Lysiec principaliis rectoris, vicerector, urgente necessitate et ex causis rationabilibus dedit convocationem universitatis pro licentia in jure obtinenda. / Conel. p. 20./

Commutatione hyberna creatus in rectorem M. Sendivogius de Szczekocyn, baccalaureus in decretis.

1461. M. Nicolaus Bylina rectoratum gessit. Hic contra abusus irrepentes gravis censor et acerbus, vocata universitate, ex unanimi consensu statuit, ut omnes decani rationem debitam facerent rectori et decanis de suis decanatibus nihil penitus ipsis propria auctoritate pro ipsorum praetensis debitis defalcando, sed ut pro ipsis universitatem requirant. Collegas vero minores adstrinxit ad instaurationem possessionis ordinis et cor-

et consuetudinis in mensa tenenda, in statutis domus servandis, juxta 1461.
suam erectionem, non obstante absentia M. Jackowski, tunc absentis,
qui, nisi in tribus mensibus redierit, ejus collegiatura alteri conferetur. Occurrendo autem doctorum neglectui laboris in facultate

(Hic auctor repetit ~~ea~~ de magistro Joanne de Ilkusz, quae superius sub anno 1459 notaverat.)

Die XVI Julii homicidium Andreae de Tenczyn patratum a civibus cracoviensibus, urbem sequentibus annis afflixit. Amiserunt enim plerosque ex senatu et jus provocandi.

Ad diem IV Augusti quartus regi filius natus est a M. Joanne de Prziero archidiacono baptisatus et Sigismundus nominatus. (conf. Dlug. II. 270. B. qui h. t. Alexandrum natum fuisse scribit)

Die XXVII Septembris Sophia Vladislai Jagiellonis ultima consors, mater vero regis Casimiri mortua est, et in cathedrali cracovien. sepulta tali cum inscriptione in sacello Smae Trinitatis ab eadem tribus pagis dotato, quos postea sacerdotes regi Casimiro 100 m vendiderunt. (Hoc epitaphium vide ap. Dlugossum II, 278. ed. lips.)

Idem rector fuit.

Rectoratu V. Viri Arnolphi de Mierzynicze D. D. 1462.

Die Martis XXVII Aprilis ignis e monasterio Smae Trinitatis exiliens tectumque templi subita celeritate arripiens late incendium per urbem sparsit et diffudit. Monasteria Smae Trinitatis, S. Francisci consumpsit. Plateam castrensem, fraternitatis, columbarum, argentariorum, lixarum, legati, pistorum et judaeorum, bursa quoque divitum pervasit.

Mgr. Matthias Raciąż legatus a rege ad papam, inde rediens omnia se pro nutu regis in causa episcopatus cracoviensis ordinasse vulgaverat. Verum papa nonnisi administrationem episcopatus cracoviensis Mgro Joanni de Prziero, quoad suus legatus in Poloniam veniret, concesserat. Hic Cracoviam veniens, regi dicenti: malo regnum amittere, quam Jacobum Sieneńium episcopum cracoviensem pati; respondit legatus, satius est tria regna amittere, quam sedis apostolicae auctoritatem vacillare.

Ad pacem cum Cruciferis componendam fuerunt nomine regis et regni deputati M. Sendivogius de Czechel, Can. Gnezn. Joannes Dambrowka, Jacobus de Szadek, Matthias Raciąż, doctores Academiae, inter quos et legatum papae gravis fuit contentio de interdicto non servando in praesentia Gedanensium, solutumque est stipendiariis regis campanas pulsantibus, et doctoribus celebrantibus, eo quod Pius II Gedanenses antea a poena excommunicationis sublevasset, et legatus a cruce frio [?] dicebatur esse legatus, qui non pacem sed bella seminarat.

1462. Orta quoque fuerat alia in regno controversia per doctores academiae sopienda. Ad comitia regni generalia in Piotrkow indicta venerunt dux Masoviae cum Barbara genitrice. Boleslai ducis Masoviae, sine prole defuncti. Item Conradus Niger, dux Olesniciensis, uterque ducatum plocensem ex morte Semoviti et Vladislai filiorum olim Vladislai, Masoviae ducum. Conradus quidem Niger Olesniciensis, ratione consortis suae Margaritae, filiae unicae Semoviti; Conradus Masoviae ratione successionis, eundem ducatum poscentes. Casimirus rex, jure feudi, mascula prole non existente, ad se devolutum volebat. Omnibus autem pro jure potioritatis contendentibus rex cum partibus academiae professoribus committit, ut decernant, quid juris sit sui. Mox a tribus canonum doctoribus M. Joanne Dambrowka, Nicolao de Kalisz et Jacobo de Schadek, quos ad dictam acciverat, edoctus, se caeteris competitoribus jure potiorem esse, judicio causam committere volebat, duobus magistris Jacobo de Schadek et Joanne de Ostrorog, decretorum doctoribus, advocatis constitutis. Recusarunt aliae partes et placitatione per communes consiliarios omnes difficultates componi eligebant. Tandemque persoluto jure, Margaritae consorti ducis Olesniciensis penes regem mansit Plocia, frustra queritantibus Masoviae ducibus.

Idem rector fuit.

Non diu post sole vergente ad occasum imago Crucifixi rubra primum, deinde pallida, ad extremum nigra, gladium habens exsertum in aëre apparuit, et horis plus quam duabus ab occidente in meridiem tendendo, magnum spectatoribus miraculum praebuit. Testa insuper seu calvaria S. Stanislai aliquoties sudasse et dum a M. Joanne de Pniew, archidiacono et administratore, in processione portata sic caretur, non destitisse sudare visa est. Quibus prodigiis persecutio ecclesiae cracoviensis signari aestimabatur.

? Jacobus Siennensis abdicato ab se episcopatu cracoviensi in manibus Pii II, papae, quem propter regis persecutiones retinere non potuit, occasione sua multi tam saeculares, quam spirituales, qui suas partes sequebantur, bonis et honore fuerunt spoliati. Reliquit sedem Joanni Gruscinis, postulato ex episcopatu Vladislaviensi ad cracoviensem.

1463. M. Paulus de Klobucko S. T. L. Can. S. Floriani, rector creatur est. Sub quo inscriptus est in album studentium Matthias Blasij de Szydlow, insignis postea in omni genere scientiarum theologiae professor C. C. praedicator

praedicator verbi Dei disertissimus. — Commutatione hyberna electus in rectorem M. Nicolaus Kalisz D.D. C.C. 1463.

Grusczinio ad metropolim gnesnensem translato Joannes Luteus J.U.D. episcopus Vladislaviensis, regni Poloniae vicecancellarius ad ecclesiam cracoviensem per Paulum II. promovente rege Casimiro translatus est.

Extremo Aprili, rectore Nicolao de Kalisz J.U.D. Bursa Hungarorum ad normam collegii dicti novi ordinata est ita videlicet, ut ~~quintus~~ quartus liber Decretalium inibi legeretur, horis competentibus absque impedimento aliarum lectionum ejusdem canonicae facultatis. ~~Item~~ vel saltem Sabbathis vigiliarum ac diebus festis ad populum et canicularibus. Item ordinaria medicinae et per baccalaureos ejusdem facultatis. Item quod in artibus ibidem legant et disputent majores carentes horis et locis. ~~in medica facultate, ut ibidem~~ III baccalaurei praelegerent ejusdem facultatis. Item ex philosophica facultate, qui carerent lectoriis in collegio majori, † horis sola s. theologica facultate quoad lectiones suas pro hac vice nolente condescendere. [Concl. p. 20.] (Vide Bursa Hungarorum in schedulis meis. 1464

Eodem 540 aurei soluti sunt R. D. Rzesrowski, C.C. mutuati ad comparandam olim domum dominorum Melstinorum, quibus cum bursa Hungarorum obligant libros, clenodia et census. ? nb. nb.

Commutatione hyberna rectoratu Petri Gassowicz de Lesnica M. D. data licentia M. Matthiae de Slupca recedendi a studio ad loca, ad quae trahitur occasione cancellariae posnaniensis, tamdiu quoad causa fintatur. Loszmyerza (Concl. Univ. p. 20)

Die XIX Novembris electi sunt DD. Revisores Privilegiorum et Reformatores statutorum, praefatus rector cum decanis M. Joanne de Dambrowka, s. Theol. Can. S.T.Pr. M. Nicolao de Kalisz, C.C. Andrea Grzymala M. † de Posnania, D. M. Matthia de Kobylino, artisticae facultatis decanis. Quibus adjuncti sunt quatuor viri insignes de qualibet facultate. Matth. de ~~Saxon~~ Szanspow (Concl. Univ. p. 21) S.T.P. Arnolphus de Mierczeyenyecz (Concl. Univ. p. 21) J.U.D. Bernardus Hesse de Crac. M.D. et Joannes de Oswięcim Sacranus, quibus data est potestas corrigendi, mutandi et de novo formandi omnia statuta universitatis et omnium facultatum, prout ex privilegiis rector cum decanis eandem habent facultatem.

(De morte Pii II. papae vide Dług. II. 338. D. item de promotione Gruszynii in Archiep. gnesn. p. 340. C.). De ratione pacis inter regem Casimirum et Cruciferos stabiliendae lege ap. eundem Dług. II, 332 usque ad 336. C.) De conspiratione nobilium cruce signatorum vide Dług. II, 330. 13.)

Commutatione hyemali d. ~~XXV~~ XVII maji, rectore Petro Gassowicz, rebellis magister Simon de Sirem de collegiatura astrologica, quoad salarium et professionem ad annum motus, substituto illius salarium tollente. Devoluto vero anno, si mores correxerit et humilitate ac reconciliatione debita praemissa, universitas benigna magistro, promisit eundem se recepturam. Sin vero de alio lectore extune providebit. Rector M. Jacobum de Zalyeschye loco ejus ad legendum substituit. 1465.

1464. Hoc (anno) inscriptus est Preslaus princeps, dux Opaviae.

1465. Commutatione aestiva idem reelectus erat. (De incendio in Stradomia vid. Dlug. II. 345, C. atque ac de clypeo ecclesiae S. Francisci p. 347 A.

Commutatione hyberna Mgr. Andreas Grymata M. d. in Decretis Licentiatus, primus plebanus ecclesiae Sti Nicolai, Universitati per Sedem Apostolicam incorporatae.

(In synodo Lanciciensi (Dlug II, 359. A) consensum est, ut spirituales pro relevanda republica, subventionem faciant)" salvis Academicis ~~benef~~ officiis ob eorum exilitatem et privilegia"/. verba Radyminii.

Indignum existimavi omittere hic, qualiter per duos Academiae ? Cracoviensis Magistros, qui scholis in Pomerania praeerant, ad Stargardiae utilem operam praestiterint, ut sua unicuique laus reddatur. Oppidi Stargardiensis deditionem et Slochow recuperationem tanti faciebant Cruciferi, quanti rem eximiam

De recuperatione castri Slochow (Dlug. II, 373. A) haec observanda: Radyminsius Martinum Sierzvinz, Synoviensem appellat, periodum vero ~~quae apud Dlugossium sic sonat~~: Erant in castro duo sacerdotes, Pomerani genere, et scholae magister cum aliquot clericis, noster his verbis expressit: „Erant in c. d. s. Pom. gen. [vide Dlug. II p. 393. C. de textis Rozpan mostis]

1466. Idem reelectus pro commutatione aestiva. Pro commutatione hyberna Paulus de Kiobuczko S. T. L. C. Sti Floriani.

1467. Pro commutatione aestiva Joannes Dambrowka, et pro commutatione hyberna idem; quo tempore inscriptus est Raphael comes de Tarnow. Data convocatione per vicerectorem Matthiam de Szanspow S. T. P. data licentia absentiae semestris Arnolpho doctori, juxta consuetudinem, ut per substitutum legat. Census (novem marcae) villae ~~Boszaygrachonestae~~ Baszczina Dnae Ursulae, relictae olim Joannis Bemek civis Cracoviensis easque pro festo Christi nativitatis tenetur solvere, alias 4 l. pro festo Jacobi.

Rectore Joan. Dambrowka conclusum est ut 500 fl. Joanni de Rzeszow C. C. pro domo Myslotyn solvantur ac pro obtinenda pecunia libri universitatis obligentur aut alia clenodia censusque vendendo in decimis et aliis bonis omnibus ~~et~~ Universitatis praedictae.

Mortuo Paulo Jagendorffio, episcopo varmiensi capitulares Laurentium Jungen eligunt. Rex praesentat Vincentium Kielbasa in episcopum Chelmensem. Ex hac occasione aliquot annorum tumultus, imo bellum extitit. Quod si rex episcopum Laurentium praesentasset, multis molestiis se et vastitatibus (sic) terram Prussiae, eo quod erat vir bonus et genere Alemannus liberasset.

1468. Rectore Joanne de Latoszyn (schin) D. D. commutatione aestivali-eluvio Jstulae ad ipsos muros Cracoviae III. augusti fuit. ⁺

⁺ Dlug II, 431. D.

Eodem rectore pro commutatione hyberna apparuit cometes. (vid. Dlug. II, 433, D.)

Anno eodem (1468) mense Januario amicabilis compositio facta est inter

inter D. Joannem seniorem Dlugosz et Joannem de Dambrowka, canonicos cracov. bursaeque et collegii Jerusalem provisores, super differentia et controversia ratione provisionis et locationis senioris in dicta domo suscitatis, seniorem vero a dictis provisoribus Matthiam de Szydlow institutum, ob certas causas recipere noluit universitas, imo ut rebellem excommunicaverat, per rectorem absolutus ergo, sicque in posterum convenit, ut nunquam per provisores senior contubernio Jerusalem detur, sine consensu rectoris. 1468.

Eodem anno penultima Julii placuit universitati, quod in muris, quos noviter aedificat, interstitia fierent seu tres ordines, unus lectoriorum, secundus et tertius camerarum. /Concl. Univ. p. 23./

Altare et sacellum D. Leonardo erigitur et consecratur in collegio majori anno 1468, die S. Leonardi, cujus et titulum habet. Consecrator fuit Stanislaus de Dambie, suffraganeus et officialis ac vicarius in spiritualibus et alii presbyteri, Dni suffraganei, omnesque doctores et magistri numero XIX. Tractati omnes solenniter pro domus et magistrorum honestate. Occasione hospitum expositae marcae duae. Exposuit etiam altarista M. Joannes de Brzeziny alias Sacranus de propriis suis pecuniis tres fertones et septem grossos. Ultra illum Joannem pro necessariis ad altare consecrandum, pro vino malmatico (sic), hungarico et felinis carnibus (sic)

Rectorem agebat M. Stanislaus Horiani de Sradek S. P. P. commutatione aestiva. Commutatione hyberna successorem habuit Nicolaum Bylina. /: Quae Radyminius habet de reditu regis Cracoviam, ea lege ap. Dlug. II, 437. D. et 442, D. et 443, B. de Friderico Marchione Brandeburgensi p. 453, C. 1469.

Commutatione aestiva in rectoratu Petri Gasowiecz M. D. Collegis minoribus data facultas manendi in domibus universitatis, scilicet Jureconsultorum et bursa divitum, pro quorum habitationibus procurator solveret 16½ mc. Cum vero studiosi in praejudicium sibi factum hoc viderent eo, quod pro studiosis bursae essent erectae, determinatum est per universitatem, ut ad omnia contubernia magistri, si qui vellent, recipiantur, imo prout aliis excellerent gradu, ita et praerogativis, sic tamen, quod obediant senioribus et statuta servent. 1470.

Commutatione hyberna rector erat Arnolphus de Mirzyniec D. D. S. T. B. formatus, lector ordinarius juris canonici

Commutatione aestiva Joannes Dambrowka S. T. et J. U. D. C. C. et hyberna, in eoque magistratu moritur. Cui substitutus est sequens. 1471

Commutatione aestiva, rectore Clemente de Gorka J. U. D. redit Casimirus princeps ex Hungaria. ~~Clemens de Gorka, rector~~, M. Stanislao de Kobylino C. C. J. U. D. laboribus ~~fracto~~ afflicto datur licentia a laboribus per universitatem. 1472

1472. Substituitur in ejus locum lector juxta statuta Universitatis.

1472. Commutatione hyberna rector Matthias de Kosten.+

1473. Item fuit rector commutatione aestiva. At pro commutatione hyberna rector fuit Matthias de Blandow.

V. Vir Mgr. Joannes de Canthy S. T. D. ejusdemque ordinarius professor in vigilia Nativitatis Christi spiritum Deo tradidit. Mandatum pro funere de more consueto et sub forma datum.

Eodem anno mortui sunt Mgr. Matthaeus de Canthy, M. Albertus Cracoviensis, M. Michael de Krosna, D. D. praebendarius S. Adalberti, in circulo Crac. Item Dni Lipnica de Zagorz Officialis Sendomirien. et Petrus Mlodziejowski.

1474. Stanislaus de Sadek S. T. P. rector universitatis, data convocatione in collegio novo domus de Melsztyn itique non perfecta in collegio Serenissimi Vladislai decernitur domum Nowkonis seu Servikaptur dotem altaris S. Alexii reparandam per altaristam non per Universitatem, quae proxima ignis voragine consumpta est. Cujus possessor Bartholomaeus de Znienna vendit ad censum 8 m̃ aream Janussio Zawischa et Dorotheae suae conjugi, de quibus tres altaristae 5 m̃ pro reparatione domus ad catenuationem Janussio cedere, donec totum recuperaverit, quidquid exposuerit. In libro rationum Junii 27. reperio D. Joanni de Canthi defuncto aut ejus executoribus deberi pro ordinaria lectione theologiae decretor esse 27 fl. solvi debere.

Znenna.

Eodem fere tempore controversia excitata de reaedificatione tecti S. M. Magdalenae, in qua adinventum est universitatem neque de jure communi, neque de privilegio, neque de consuetudine ad ejus capellae reaedificationem obligari. Forte is tenetur, qui fructus percipit.

Eodem anno, rectore vero Matthia de Blandow J. U. D. Crac. Praemisl. cathedr. et Sendom. Canon, Jacobo de ~~Bar Boxice~~ Boxica canon. S. Flor. med. Lic. data licentia visitandi curiam Romanam et Terram Sanctam, Jerusalem, per spatium, quo revenire possit.

Feria quarta ante S. Agnetis festum M. Nicolaus Bylina de Leszczyny S. T. D. Can. eccl. cath. Cracov. familiarissimus D. Patri Cantio mortuus est. 11 februarii M. Petrus Rossieniensis in medicinis doctor moritur.

13?

Commutatione hyberna rector fuit Matthias de Blandow D. D. Crac. Premysl. Sendom Canonicus.

1475. Commutatione aestiva, rectore Jacobo Sadek, in ordinarium medicinae lectorem electus Joannes de Regulis, D. M. pro quo scribit universitas ad civitatem bononiensem. Electio autem ordinarii theologi ad annum suspenditur, ut ejus proventibus universitatis aedificia reparentur. Hoc rectore

† post mortem Jacobi de Lyszów P. T. et Decr. Doct.

\+ Magna hoc rectore frequentia fuit Hungarorum studiosorum in Academia.

rectore seditio quaedam et violentia in contubernio ~~Jeru..~~ Jerusalem facta est, cujus 1475 ?
seditionis autores, rector cum consiliariis, alios carceribus, alios exclusione a contubernio, alios proscriptione punivit.

Idem reelectus ~~fuit~~ erat ad festum Galli pro commutatione hyberna. Ordinatissime suo in magistratu in album universitatis admissos inscripsit. Collegium minus olim 1449 sub Dambrowka trium professorum in domo lignea ad posticum Collegii majoris situm et igne consumptum, Jacobus Szadek 13 professoribus in domo seu bursa divitum erigit, quod a papa Sixto IV fuit confirmatum 1478. Cujus erectionem et confirmationem pono

Fasces Academiae commutatione aestiva Joannes de Slupca S. T. 1476.
Prof. C.C. capessiit et sequenti semestri continuavit. Numerosissimam juventutem in matriculam intitulavit.

Domus pro habitatione medicorum, ubi nunc est contubernium philosophorum exstruitur. ?

Rectoratus incidit Magistri Matthiae de Kobylino S. T. Professoris 1477.
Decani S. Floriani, commutatione aestivali et hyberna.

Commutatione aestiva electus in rectorem Stanislaus Zawada S. T. 1478
Prof. mandatum dat ad vigilias decantandas et sacrum missae officium absolvendum pro anima R. D. Jacobi de Bydgostia S. T. D. et provincialis Poloniae Ord. Praed. ~~Commutatione aestiva continuavit magistratum.~~ Commutatione vero hyberna pro licentia mandatum Universitati intimat ad collegium canonistarum PP. Magistris Clementi de Piotrkow et Joanni de Szarechowice, baccalaureis in decretis. Iisdem conferunt insignia doctoratus in ecclesia cathedrali Cracoviensi juxta mandatum ejusdem sequenti anno 1479. ?

Rectore Georgio de Cracovia J. U. D. ad intercessionem Serenissimi Regis 1479
et Rmi Archiepiscopi M. Andreae de Labyschyn data facultas ad respondendum, remissus autem cum sui incorporatione ad canonicam facultatem. Rectore vero Joanne de Oswiezim periculo census XII mr. ad contubernium pauperum in villa Bothoryn fundatarum obviam itur, sed non evasimus damnum denegante possessore, ut infra et in veteri Formulari p. 48. – Bullae pro Universitate Romae obtinendae procurantur in veteri Formulari p. 48.

Die V Maji, Rectore Magnifico Georgio Proger ad instantiam regis et Rmi Archiepiscopi ad responsionem in DD. Theologiae Mgr. Andreas de Labyschyn remissus est ad facultatem juxta consuetudinem. Ex veteri Formulari p. 47. Mortuo Georgio circa festum Viti eligitur per universitatem Joannes Oswiezim S. T. P. custos ecclesiae S. Floriani. Eo rectore +

+ Magna hoc rectore frequentia fuit Hungarorum studiosorum in Academia

1480. Rectore commutatione aestiva Joanne de Oświacim in lectorem ordinarium juris electus est M. Clemens de Piotrkow. Pro bulla expedienda Roma XV ungaricales impensi. (Concl. p. 30.)

ad continuandam lectionem ordinariam principalem. (Conclusiones p. 30.)

In Aprili facultas philosophica reformatur per deputatos ab universitate, Rectorem scilicet, Stanisl. de Brzeziny, Matth. de Kobylino S. T. professores, Joannem de Lowicz, decanum facultatis, Petrum de Zambrzecz, Bernardum de Nisa, Michaelem de Wielun, ut habetur in facultate philosophica.

tam quoad magistros quam et baccalaureos ac studentes pro ipsorum profectu nec non facultatis ipsius incremento (Concl. p. 30)

Mgro Jacobo de Boxice [med. doct], officiali generali gnesnensi et vicario in spiritualibus ad intercessionem Rmi Jacobi Primatis conceditur cancellaria posnaniensis in titulum et professionem et ut gaudeat de fructibus ejusdem, ponatque villas ejusdem cancellariae in meliori conditione, easque locet in agris et domibus. Quatuor insuper marcas singulis annis dabit ex fructibus et proventibus ejusdem cancellariae laborantI collegiato suo, salvo etiam regressu ad ecclesiam S. Flor. et ad domum collegii artistarum majorem [quando illi placuerit regredi; vacantia aliquo in praedicta ecclesia S. Floriani occurrente (Omnia haec addidi ex Conclusionibus Univ. p. 32) Fns.

Mortuus Annalium scriptor et ab universitate cum aliis funeriis ritibus honoratus Joannes Długosz, nominatus archiepiscopus leopoliensis. Vide Miechovium lib IV. c. 72.

Commutatione hyberna electus est in rectorem Arnolphus de Mirzyniecz D. J. S. T. P. C. Crac. Praepositus OO. Sctorum Cracoviae.

1481. Commutatione aestiva rector fuit Clemens de Górka D. D. in dispersione magistrorum et suppositorum universitatis et hominum plurimorum utriusque sexus abeuntium de urbe Cracoria propter comminationem validissimae pestis a mathematicis professoribus factam, quae tunc certissime futura praedicebatur, quae tamen tum ordinatione divina minime saeviit, sed annis futuris subsecuta est.

?

Admissa est Universitas ad participationem meritorum ordinis D. Dominici, ut habes.

1482. 10 febr. Commutatione hyberna, rectore Stanislao de Brzeziny S. T. P. Bernardo de Nisa data abeundi facultas ad semestre, ea conditione, ut sit adstrictus per alium surrogatum legere, disputare etc. Idem factum est cum D. M. Stanislao Kobylenski, rectore Matthia de Costan. Idem concessum per solum rectorem Martino de Crazewicz, seniori pauperum bursae. Capta licentia ob pestem generalis dimissio concessa. Examen una septimana expeditur, servitoribus datur per florenum.

d. XVII m. Junii de baccalaureandis, qui tunc examinabantur per facultatem fuit determinatum, ut mitius cum eis ageretur hoc tempore, et quod per unam septimanam examen eorum expediretur Conclusiones p. 33.

Quam nostri Mathematici anno 1481 futuram praedixerant pestem, ea gravissime grassata est Cracoviae praeterito anno, quae multos etiam illustres viros ex Academia sustulit. Inprimis Rmus Stanislaus de Kurozwęki praepositus gnesnensis, regni cancellarius, sed non peste. Sequenti anno per universitatem ad sepulchrum ex ecclesia S. Floriani in arcem usque deductus est. M. Richardus doctor excellens in medicinis die dominica 1a ante Petri et Pauli, sepultus in ecclesia B. V. M. Joannes Oświęcim S. T. P. circa festum S. Laurentii in

praesenti ?

in monasterio Andreoviensi ibidem sepultus. M. Joannes de Lowicz S.T.L. 1481.
mortuus in Jgolomia, ductus fuit in die B. V. assumptae (Ex Formulari
veteri p. 11.) inclusus jam factus sepultus ad S. Florianum in crastino ?
festi est Assumptionis, M. Clemens de Gembice S.T.B. in crastino S. Aegidii,
hic non recesserat ab ecclesia S. Floriani, in ecclesia eadem tumulatur,
peste jam remittente, M. Joannes de Thosth J.U.D. qui cum duce suo
per nemora latitando fugiebat et in via huc redire volenti ex aeris ?
alteratione coepit aegrotare et ibidem in ecclesia sua in Thosth est
sepultus. Relaxantur lectiones baccalaureorum. In veteri formulari
p. 51. B. Simon de Lipnica, baccal. in artibus XXVIII Julii peste
infectis verbum Dei ministrans, ulcere pestilentiali suffocatus est,
praemium laborum suorum in coelo accepit.

Commutatione aestiva XXVII Septembris Matthias de Kosten 1482.
J.U.D. almae universitatis rector, convocat universitatem mandatque pro die supra nominata, ut omnes hora XIII adessent
in ecclesia B^mae Annae ad decantandam missam universitatis
de S^a Trinitate, hymnum persolvendum „Te Deum laudamus" pro
bono communi regni ac potissimum remissione et cessatione aurae pestiferae in hac urbe. Ab octava enim Corporis Christi incipiens saevire ad medium Augusti, hoc est diem Assumptionis
B. V. desaeviit ita, quod vehemens nimium fuit; nam in sola parochia B. Virginis quinquaginta quotidie funera efferebantur, non
diu duravit, ut fert natura omnis violentiae.

Peste nondum plane cessante, reelectus fuit pro commutatione hyberna ad festum S. Galli idem Matthias de Costen.

Commutatione aestiva in rectorem electus egregius ac venerabilis vir 1483.
Joannes de Latoschin D.D. C.C. Cantor Opatovicen. Bursae Jerusalem
provisor, vicecancellarius universitatis, bonum ordinem in universitate retinuit. Idem reelectus fuerat pro commutatione hyberna, eoque
rectore Joannes de Glogovia floruit. Contubernium (Hungarorum) etiam al.
pro studiosis Alemanis ab universitate conditur in annum 9. (sic).
Bursa quoque Canonistarum. ⁊

⁊ Postquam mortalitate exemptus est R. Joannes Longinus, post ejus fata haec ad. a. 1484 pert.
cum ejusdem executores nollent domum illam sumptibus illius Patris consummare, universitas eandem in ordine ponit eam qua sibi melius videbitur. ? maccesula ?
Data quoque est licentia XII februarii duobus collegis visitandi limina =
BB. Petri et Pauli et alia Paulo de Zalesie et Michaeli de Vielun
abeundi ad terram sanctam ad unum annum, seclusis impedimentis, ita
nimirum, ut uterque in suum locum lectorem sufficientem substituat.
Et hic quidem posterior, assumptis secum M. Nicolao de Glogovia et
Georgio de Landek presbytero, a Turcis ter captivatus et liberatus, brevi

1483 brevi post reditum moritur. Vir in omni facultate doctissimus, potissimum autem in lingua hebraea.

1484. Commutatione aestiva sceptra sibi per universitatem delata suscepit Matthias de Kobylino eaque hac et sequenti commutatione hyberna feliciter gubernavit. Fama scholae Cracoviensis, eo rectore, replebat orbem Christianum, ut ad eam Sueci, Vandali, Teutones, Hungari, passimque alii concurrerent. Qua permotus Innocentius VIII nuper ad culmen apostolicum evectus, orationibus universitatis se commendat, suamque apostolicam benedictionem ac privilegia ipsi pollicetur. Rector lecta bulla decernit supplicationes ad S. Trinitatis cum solennissima universitatis processione.

Michael Wielicki de Opol (sic) baccalaureus in decretis, Collegiatus collegii artistarum in reditu peregrinationis suae de Terra sancta, obiit Rhodi a. 1486.

Commutatione hyberna, rectore Matthia de Kobylino S. T. D. per mandatum instituta est solennissima processio. Tota enim universitas congregata in collegio Serenissimi olim D. Vladislai Jagiellonis, sceptrigeris praeeuntibus ad basilicam Smae Trinitatis descendit, ibique missam de S. Spiritu, oratore partes suas agente pro felici S. M. Ecclesiae statu et suae sanctitatis regimine, pro more et consuetudine orationes in conspectu Domini effudit, populo undique confluente ad insolitam eo in loco factam per professores panegyrim.

(apparet tertia commutatione fuisse rectorem (Radziwiłł))

In Martio fuit eclypsis solis majori in parte, sola minutissima particula de totali lucem ad merulam (?) modicam porrigebat, quasi post 22. feria 4ta in Gregorii. (sic ??). Eodem anno lectorium superius, collegii majoris deposito muro pariete habitationis cura eodem existente opera artificum, ad longum bene excrevit, ad plura supposita continenda dispositum, pulcherrime depictum. Eodem rectore (: Ex formulari p. 12 :) supradicto M. Matthia Kobylino S. T. D. datum fuerat mandatum ad assistendum cum Capitulo Cracoviensi et Rmo D. Episcopo Cracoviensi in ecclesia B. V. in circulo Cracoviensi in causa fidei. Quae autem fuerint capita controversiae non invenio. In veteri formulari fit mentio, quod quidam laicus Joannes Nowak dictus, pro eo, quod violenter effracta fenestra ecclesiae in Rdtors, ibidem per scalam ascendens et descendens violato ciborio sustulit corpus sacratissimum D. N. Jesu Christi et manibus pollutis irreverenter ausus fuerit tractare et in domum suam reportare, per Dominum igitur Episcopum et Inquisitionis haereticae pravitatis sententiam ad perpetuos carceres est deputatus.

(conf. Miechovii Chronicon CCCXLVI. fin.)

1485. Rectore Joanne Boruchowski J. D. C. C. iterum locat (sic) domum Metstinianam Joanni Glogoviensi ad annum 12 mr. M. Joannes Szareckowski, plebanus Lubarcensis (?), C. Crae. et Valentinus de Ilkusz, altarista in ecclesia Cracoviensi commutant inter se beneficia cum consensu Magistri Kobylinoli, permittente id fieri certis de causis universitate.

Commutatione aestiva rectoratu Matthiae de Kosten D. D. ad S. Annam pleba-

plebani. B. Michael, ordinis S. Mariae de metro de patientia beatorum 1485.
martyrum ad sanctum Marcum, Artium et philosophiae (sic) baccalaureus, multis miraculis clarus, maxime tamen humilitate, quae in docto viro enituit tum vel maxime, cum se infra omnes indignissimum etiam consortio fratrum reputaret, vitam finivit. Reperio in libris rationum quas faciebant rectori et decanis decanus artistarum a. d. 1466 in rectoratu magistri Andreae Grymata, M. d. fecit rationem M. Joannes de Lowicz, decanus artium de duobus examinibus, in quibus habuit viginti quinque personas et restant deducendi de examine ejusdem decani: Laurentius de Nova Civitate, Michael de Gedroytz (sic), Joannes de Lowicz.

cf. Mich.

Commutatione hyberna regimen academiae venit ad D. Joannem 1485.
de Barnchow S. D. C. C. quod tribus commutationibus consequenter administravit.

Mgr. Nicolaus de Cracovia S. T. Prof. Custos S. Floriani pro com- 1487
mutatione aestiva in rectorem universitatis est electus, in quem et sequenti commutatione fuerat reelectus. In ejus rectoratu Mgr. Joannes de Wysoka, posito suae procurationis calculo pro fide in testimonio rationis fidelis per eum factae, reposuit regestrum, de quo rationem fecit ad thesaurum universitatis et pro cautela futurorum. Rector cum decanis facultatum decreverunt hoc peramplius faciendum per procuratores universitatis.

Anno quo supra feria quinta proxima post festum S. Michaelis, alias ipso die S. Francisci, de consensu et voluntate omnium Doctorum, decanorum et Magistrorum salariatorum per convocationem ad hoc vocatorum sub poena non contradicendi et prout diligitis bonum universitatis serenissimo Dno Casimiro, regi Poloniae, domino nostro dederat universitas in mutuum ducentos florenos, computando per mediam sexagenam, in quod domus DD. Artistarum dedit in mutuum octoginta florenos hungaricales in auro, minus duobus, et de fisco universitatis centum et viginti duos florenos in grossis latis, computando quemlibet florenum per mediam sexagenam. Qui quidem Dominus Rex praefatam summam integre promisit infra unum annum ex suo telonee cracoviensi solvendam, obligans et recognoscens ipsam deinde regis sage (sic)
fienda totali (sic).

//

Jacobus de Szadek D. D. C. C. et Vicarius in Spiritualibus, obiit post festum S. Michaelis, plenus annorum et bonorum operum. — Martino de Cracovia S. T. Prof. ad breve tempus datur Romam proficiscendi licentia.

Commutatione aestiva, rectore Matthia de Kobylino, Georgius de Drohobycz M. D. per universitatem obtinuit locum medium inter bursam Hungarorum et lapideam Ketnar, incultum et humidum (horridum?), in quo aedificavit domum ad fata vitae ea uti volens, post mortem in jus universitatis veniret.

//

1488. Postera etiam inscripta est conclusio pro PP. et fratt. Cisterciensibus. Religiosi fratres Cistercienses Ordinis ad nostram Universitatem studii generalis gratia convenientes, occasione domus plebanalis S. Annae, quam olim in possessione dicti fratres habuerunt, manere in collegio [Jerusalem] Iter. et habitatione, in capella in dextra parte versus Bursam Philosophorum (?) possidere debebunt emolumentis domus illius, instar aliorum studentium utentur, bursam hebdomatim ..... judicium citati visitare, ceterisque statutis subesse tenebuntur. In hoc tamen hac praerogativa eos ex nostra concessione gaudere volumus, cum plures fuerint pro una tabula sufficienter, quod in eorum habitatione prandere et coenare possint, quibus portiones carnium et piscium atque leguminum per eorum famulos deferenda sint, ad mensas aliorum bursas ponentium dabuntur. Item, si missas in praefata capella legerint, quod ex eis fieri et pro eorum et caeterorum inhabitantium devotione et commoditate optamus ex pecuniis communitatis de vino et candelis provisor et senior provideat. Et si tot fuerint personae, quot commode in una habitatione comprehendi non valeant, tunc alia ex opposito in eadem capella habitationem cum priori possidere debebunt, etc.

? ?

M. Joannes Welss, licentiatus in medicinis, professor regius, licet ob merita multa a laboribus levatus, ne tamen universitas negligatur, per alium legere jussus est. In Decembri Clemens de Piotrkow, ordinarius juris canonici lector ad archiepiscopo gnesnensi vocatus, obtinet licentiam per substitutum Joannem Starzechowski onera perferre.

Joannes de Stupca S. T. D. professor et can. eccl. cath. Cracov. die solis III mensis Augusti, bonae memoriae et munerum plenus obiit ac vitam finivit nutu Dei. Ex veteri formulari p. 27. A. 1488.

Eodem anno post Aegidii feria quinta Venerabilis vir Matthias de Costen, plebanus ad S. Annam, solvit debitum naturae. Uterque rectoratum gessit.

Die XIII Aprilis Fridericus, Casimiri regis, ultimo natus filius ad postulationem patris sui, per Capitulum ad episcopatum Cracov. fuit electus, mortuo Joanne Rzeszovio XXVIII mensis februarii 1488.

1489. Die Martis in vigilia Mariae Magdalenae M. Stanislaus de Kobylin D.D. ac protunc rector obiit. Cujus funus et sepultura celebrata ad S. Annam. Continuavit rectoratum Matthias de Kobylino S. T. professor. Ex veteri Formulari p. 23.

Commutatione hyberna egregius vir Bernardus de Nissa S. T. P. Vratisl. Canon. custos S. Floriani in dictatorem Academiae ordinatus est. Cui ad sequentem commutationem

commutationem etiam dum prorogatur per reelectionem Universitatis, moritur in 1490. Februario. Ei sufficitur Stanislaus de Brzeziny S. T. Prof. IV die februarii statim a funere praedecessoris sui.

Commutatione aestiva Matthia de Kobylino rectore, muri ruinam minantes, imo paries totus collegii majoris reparari decernitur.

Commutatione hyberna in rectoratu vero Joannis de Pilca S. T. P. M. Sutterio (?) data licentia respondendi in J. C. (jure canonico), ubi docuerit de sua promotione vel literis vel fide dignis testibus. Et hoc probato, opponent ei doctores, si alicui se praetenderit, quadeam gradus sibi objicient, si ut studens in ordine studentium respondebit, studentes cum eo conferent et hoc idem licebit. 107. Concl. p. Et si noluit se repetatum haberi inter actu regentes non solvet solvenda juxta statutorum formam.

Sutterio [propria persona?]

Nicolaus de Lublin insinuaverat appellationem contra rectorem ratione altaris ad S. Magdalenam. Universitas fugitans litium per D. Stanislaum de Smiradzice C.C. ostendit officiali illi privilegia et jura, non tamen juridice. Tandem et per Andream de Gora factum, cui sex septimanarum absentiae licentia concessa. Absentes collectis clausulis ex privilegiis, ex statutis et conclusionibus disponentibus per actionem institutam revocantur ad residentiam.

Commutatione aestiva idem reelectus. De die electionis M. D. Rectoris conclusum, ut, quia dies S. Georgii solennis est, praeveniatur, et sit in vigilia. 1491. Tectum super habitatione quadam in majori collegio reformatur, paries a majori collegio noviter erigatur et praeparetur.

Post mortem M. Stanislai Zawada S. T. P. et Ordinarii, data convocatione universitatis, Matthias de Kobylino ad S. Florianum decanus, propter senium et debilitatem suam, cum non posset amplius ad ecclesiam S. Floriani accedere nec intendere curae dictae ecclesiae ratione decanatus, cui nequiret facere satis, petiit ut universitas compatiendo dictis defectibus et providendo suo senio ad effectum habendi quietem sibi necessariam professionem sibi indulgeret eandem obtinuit rara avis (sic).

Die XVII maji domui pauperum decernitur succurri ex pecunia universitatis, vel in hujus defectu ex pecuniis bursae Jerusalem, salva postea eidem refusione. Item quod exercitia non fiant per quoscunque magistros. Item quod hospitati studentes baccalaurei cogantur ad intrandum manendumque in domibus universitatis vel scholis particularibus.

A. 1491. penultima Maji facinus quoddam in bursa Jerusalem perpetratum est. Res gesta inter M. Andream de Labyschin S. T. P. et M. Michaelem bursae Jerusalem seniorem. claves bursae per seniorem jussae M. D. Rectori afferri et apud eundem reponi, poenae obnoxii, qui interdicto causam dederunt radicali electique viri, qui super quantitate et qualitate poenae tractarent. Maximam tamen poenam ad Doctorem Andream Labyschyn omnes derivandam duxerunt; super poena autem M. Michaelis decreverunt deliberandum.

Albertus de Brudzew (secretarius Ducis Lituaniae Vilnae mortuus et sepultus) procurator universitatis M. Michaeli de Varadino

1491 Locat domum Melsztyniam pro juventute Ungarica mr 14 anno primo, sequenti quindecim.

Nicolaus de Koprzywnica auget censum seniori bursae canonistarum. Hac sua intentione per universitatem obtenta et confirmata 16 mr census in institis sutorum cracoviensium seniori praefato attribuitur. Qui quidem praefatus D. Nicolaus animo deliberato censum cum collatione altaris, ut est expressum in priori ordinatione, universitati vult incorporare pro praefata collegiatura totaliter et cum effectu et irrevocabiliter tenebit. Quae ordinatio jam per eundem D. Nicolaum in domum majoris Collegii Artistarum est data et per facultatem in speciali convocatione super hoc facta suscepta et approbata. Quod altare omnibus suis impensis eriget, constituet, et jam omnia necessaria ad dictum altare pertinentia comparat. Qui senior habebit ascensum de ista collegiatura, tanquam minor, ad alias omnes collegiaturas juris canonici, hoc tamen addito, quod sibi 12 mr praedictus D. Nicolaus fundator vult reservare ad tempora vitae suae, aut quamdiu sibi placuerit in vita, quia vellet in praedictam ordinationem totaliter interim quo vivit ad finem suum propositum deducere. Residuas vero 4 mr pro seniore praedictae collegiaturae jam convertet et erit obligatus solvere. Qui senior unum actum in septimana in bursa, in collegio vero canonistarum lectionem in IVto decretalium, illis diebus, quibus in novis juribus legitur, et quolibet die, temporibus vacationum, exceptis diebus festis, sicut post festum Nativitatis Domini, ad Epiphaniam, post dominicam Conductus paschae usque ad festum S. Georgii tenebitur et erit adstrictus facere. Temporibus tamen vacationum propter lectiones, quas continue faciet in collegio canonistarum, non obligabitur ad actus in bursa disputandos. Post mortem vero memorati D. Nicolai, totum censum 16 mr praefatae bursae senior accipiet, ad majores tamen labores erit adstrictus, videlicet ad duos actus in septimana disputandos in praedicta bursa, ut clare expressum est in erectione, confirmatione privilegioque in domo Collegii majoris reposito. Hanc collegiaturam ipsemet sibi concedi petiit et obtinuit. Is autem senior debet esse Doctor juris, unde apparet collegas minores suscipere debuisse gradus. (: cf. Notatki pod Bursa Canonistarum.)

Murus inter majus et minus collegium erigitur 40 fl ex pecunia Universitatis. Ex Trzdnovice pro bursa pauperum dantur mr 4. si non satisfecerit, tunc Joannes de Glogovia moneatur monitorio Conservatoris.

Die XIV (14) Septembris M. Clemens de Piotrkow, possessor altaris S. Bartholo- 1491.
maei in arce Cracoviensi, fundi Podstolice, idem resignat et vult esse contentus
plebanatu Lubricensi; adjectae conditiones, ut personaliter maneat in univer-
sitate, et nullam litem super his ex praecedentibus intentet, de qua cessit.
D. III. octobris. In causa Nicolai de Lublin cum universitate venit pro-
cessus ab archiepiscopo gnesnensi decernitur prosequenda appellatio. Procu-
ratores instituuntur D. Czepel et Poldo cum substituendi autoritate. Mittun-
tur in urbem viginti ungaricales per cambium Collegio majori ab uni-
versitate pro lite romana mutuantur 40 fl. ad triennium.

Commutatione hyberna rectorem egit Mgr. Matthias Kobylino

Eodem rectore de Kobylino XXII Januarii praepositus domus majo- 1492.
ris nomine totius communitatis petiit ab universitate mutuo 200 fl.
ad contentationem M. Matthiae de Szydlow, juxta condemnata in
urbe Romana. Ubi universitas percepto periculo, quod in dies im-
minebat communitati, annuit in mutuum, et de fisco universita-
tis dedit centum, de fisco Jerusalem centum sub chyrographo et obligatio-
ne ad satisfaciendum, dum fuerit provisa in pecuniis.

Circa vero suborientes insolentias ejusmodi statutum latum. Quo-
niam facile datur occasio delinquendi si non tempestive principiis rigidi-
us obsistatur, nos igitur M. Matthias de Kobylino S. T. P. et lector or-
dinarius ejusdem ac rector, cum universo doctorum ac magistrorum
coetu universitatem repraesentantium, innitendo statutis et privilegiis
universitatis, quia novis morbis nova antidota sunt adhibenda, cupientes
ut suppositi universitatis nostrae sub disciplina viverent, et ordine et frenis
adhibitis, ab omni occasione discursuum retracti, studiis regularius diligen-
tiusque intenderent, statuimus et perpetuo decernimus manutenenda
et observanda: ut nullus ex suppositis universitatis de die sive de nocte
in veste utrisque laicalibus intra vel extra collegia, insolentias
et discursus vagos quaerendo audeat incedere et arma cujuscunque
generis secum ferre. Qui si duobus testibus coram rectore convictus
fuerit contra nostrum tale statutum agere, poena pecuniaria
aut carceris sine ulla venia puniatur. Seniores vero et rectores bur-
sarum, si taliter delinquentes deprehenderint, hujus statuti ordina-
tione, eos omnino a consortio studentium excludant et de bursis
ejiciant, non obstante quacunque statutorum bursarum in oppo-
situm ordinatione, eisque volentem rectori denuntient, et ille tenebitur in poe-
nam pecuniariam aut carcerem gravem cum eis procedere. Alias si exequi
tale statutum in eis scienter neglexerint, neque rectori rebelles de-
nuntiaverint, poenae sexagenae subjacebunt. Quod quidem statutum

1492. volumus statutis universitatis adnumerari et specialiter inter omnia statuta bursarum includi et inscribi, ut frequentius repetitum, neminem per ignorantiam excusaret.

Die XXII februarii ad instantiam Nicolai Cristini de Lublin declarationem cum gravamine apud archiepiscopum gnesnensem contra universitatem obtinuit delegatus Albertus de Brudzow, ut suae Paternitatis et partis animum placaret. Quod cum non obtinuisset interposita appellatio ad curiam romanam, cui adhaeserat Rmus Cracoviensis, nuper ex collegio jureconsultorum electus, cum suo capitulo.

Multiplicatis medicinae doctoribus, cum unus decanatum teneret, constitutum est, ut per vices, secundum incorporationem in universitate decanatus officium iret, non obstante quod iidem doctores actu legentes non essent, ut ex hoc major esset superintendentia ad extraneos passim in civitate practicantes contra statuta et ad profectum promovendorum in eadem facultate et conservandum ordinem in omnibus facultatibus observatum.

Commutatione aestiva Joanne Latoszyński de Latoszyn S. T. et D. D. rectore C. C. Clemens de Piotrkow in canonicum et officialem gnesnensem electus, resignata lectura ex benignitate universitatis habitationem in collegio canonistarum ad annum obtinuit, ob benevolentiam et respectum meritorum in stadio academico exantlatorum.

Die X septembris V. vir M. Stanislaus de Brzeziny S. T. D. languens mortem obiit.

Matth. de Miechovia scribit: incendium de domo aciali Mikosz nuncupata, justa portam sutorum exiliit, et omnes domos justa ecclesiam Sanctae Annae Cracoviae, cum collegio Artistarum majori, et horologio noviter immutato, die Solis 29 Julii in nocte sequente consumpsit et conflagravit. Chronicon p. 347

Incendium ex domo aciali in platea sutorum exortum XXIX Julii plateam, ecclesiam S. Annae et collegium majus et horologium noviter exstructum incendio conflagrarunt.

1493. Die prima Maji in stuba canonistarum electus in rectorem, commutatione aestivali M. Joannes de Stanszewice S. T. P. Collegio majori igne absumpto de reaedificando faciebat consilium, abolitisque, ut dicam, mapalibus in formam pulchram et non pro utilitate sed etiam honestate, tam in habitationibus, quam in lectoriis, ut reformetur, restauretur in muris conclusit. Pro restauratione, post mortem Kazimiri 300 fl. dati, qui mortuus fuerat anno praeterito. Universitas autem anniversarium instituit in ecclesia cathedrali Cracoviensi feria tertia pentecostes post vesperas. In sequenti sacra cum ceremoniis solitis solennisavit.

Mense Julio collegae majores petierunt ab universitate, quod communitati eorum velit dare et assignare 40 fl. ex ordinaria theol. ad annum praetactum, propter aedificia universitatis igne consumpta suspensa proveniens ? eo attento maxime, quod DD. Theologiae de dicto collegio majori, onera dictae

dictae ordinariae supportaverunt et lectiones eam concernentes expleverunt perinde, ac si suspensa non fuisset. Et universitas unanimi voto 40 fl. quos sibi debebat eidem dedit, donavit, pro usu aedificiorum. 1493.

Commutatione hyberna electus in rectorem Joannes Sacranus, S. T. Prof. custos S. Floriani, gubernavit universitatem tribus consequenter commutationibus. Quid in iis gesserit sequentia docent.

Rectore Sacrano S. T. Prof. VI Februarii M. Albertus de Brudzow, sententiarius, secretarius ducis Lituaniae, electus per Rmum Cardinalem, Poloniae principem, postulatus ab universitate, datur ad inserviendum eidem Illmo Principi, Magno Duci Lituaniae, salvis omnibus ad annum ascensibus in universitate. Ex capitulo tamen S. Floriani nonnisi 16 mr recipiet, 14 defalcatis, quae cedunt in refectionem praesentibus. Die secunda Aprilis notarius publicus universitatis constitui decernitur, quamprimum inveniri poterit modus salariandi eundem conveniens et opportunus, inquirendus absque neglectu, ut tandem sine prorogatione eligatur vir idoneus, qui et actus alios syndicos valeat expedire ad commodum universitatis. Dum vero intervenissent plurimae convocationes pro ecclesia S. Nicolai extra muros Cracovienses, pro cujus resignatione in personam Joannis, filii Salomonis de Cracovia Rmus D. Cardinalis, modis variis sollicitabat, universitas cupiens jura sua et immunitates habere illaesas, conclusit, ut ordinaria in theologia lectio dictae ecclesiae extra muros Cracovienses uniatur, postquam ipsam ecclesiam vacare contigerit, ut videlicet ordinarius theologiae lector et officio lectionis suae et curae pastorali intendat, eoque jure plene potiatur, quod et ordinario theologiae et plebano inserviebat. Locum et alia commoda non minus in majori collegio artistarum, quam circa dictam ecclesiam retinendo et possidendo. De censu vero ipsius ordinariae, dum in executionem praemisso modo ipsa ordinaria posita fuerit universitas tandem constituet, prout illi melius expedire videbitur.

In eadem statutum fuerat, ut senior bursae Longini semper legat lectiones, ad quas obligatus est in absentia sui, dum ex causa legitima eum abesse vel legere non posse contingat per alterum paris conditionis, vi doctor per doctorem, alias ei pro lectione non reputabitur et puniendus veniet secundum statuta universitatis. Conclusio haec sub debito obedientiae juratae approbata.

Die X Septembris data fuerat convocatio ad videnda instrumenta astronomica ex Hungaria per M. Martinum de Ilkusz, plebanum Budensem.

?⌈ Praedium in Trzdnowice igne absumptum per meram benignitatem ab universitate reaedificatur opera sumpta tenente tunc illam professionem Bernardo de Biskupie. taberna,⌉

1494. die XV Septembris cum Joannes Sacranus, plebanus ad S. Nicolaum ordinariae ipsius proventus per Universitatem gratiose sibi oblatos, non resignando plebaniae praedictae universitati, ut cujus ordinatio de ea decreta opportune processisset, renueret, data est Petro Zambrec cum regressu in plebanatu ad praebendam S. Floriani occurrentem, respectu conservandi ordinis in dicto majori collegio.

Deficientibus sumptibus ad aedificia collegii majoris igne absumpti restauranda, aperuit thesauros Deus ab aevo reconditos XXVII Junii, in antiquo muro, qui cum ad formam lectorii nunc Socratis dicti accommodatur, versus occidentem revulsus fundamenti lapis prodidit alienum, in quo haec erant: In annulis aureis magnis et parvis nonaginta quinque. Torques aurea, in qua tredecim lapides saphyri, interjectis totidem rosis, circumdantibus eas gemmis seu unionibus, et in medio lapis rubini magnus ejusdem rosae. Monilia quindecim numero, unum magnum aureum cum undecim lapidibus, sex majoribus et quinque minoribus. Catenae duae, una major, in qua annuli, altera minor. Frustum auri ad quantitatem et formam digiti. Duo millia aureorum cum quingentis minus viginti. Fuisset unde Parnassus iste cum Musis splenderet; verum eodem anno XXVI Julii Serenissimus Rex Albertus aureos commutatos mediantibus, Fridericus vero cardinalis gemmas et annulos pretiosos tulit. Superflua conversa in structores. Domus tamen in gratiarum actionem Deo omnipotenti festum D. Ladislai, cujus die haec sibi acciderunt solemnem habet.

Straije Alb. in Lms. Noctes Academicae a. 1640 p. 455 habet: thesarum 2508 aureorum etc. aureos intitulatos Maria regina Hungariae a Collegiatis redemit (Straije ibid.) Fridericus vero Cardinalis ab eisdem gemmas et annulos praeciosos tulit, quos dilapidavit et 50 duntaxat marcas monetae requisitas pro eis tribuit, de quo omnes male contenti sunt et fuerunt (Ibid.)

Judaei propter incendium Cracoviae XXIX Junii ab iis excitatum, quo a porta nova omnes structurae domuum et turres civitatis ac ecclesiae circumjacentes cum S. Stephani ecclesia et turre usque consumptae fuerunt, ad civium postulationem Cracovia Casimiriam sub muris circum ecclesiam S. Laurentii, ubi Academiae vestigia, collegia et lectoria per Casimirum exstructa fuerunt, per regem Joannem Albertum sunt pulsi.

ex Dlugosso notum, quod hunc locum volebat Carthusianis emere Lad.

1495. Die XIV februarii, rectore eodem Sacrano, dum de conferendo plebanatu S. Nicolai data fuisset convocatio semel jam incorporata theologiae, post commissa aestui consiliorum convocationis decidit a theologia aliquatenus. Nam quicunque electus fuerit in posterum sive ex theologia, sive ex artibus ad duos actus teneretur. Sic divisa in tres partes universitate, nata est confusio.

Commutatione aestiva die XXVI Junii, rectore Matthia de Szydlow S. T. Prof. habito solenni sacro, propter publicas quaerelas de contubernalibus Jerusalem ad reformationem ejusdem ventum est per depu-

deputatos ab universitate. Inprimis abdicarunt se muneribus suis 1495.
provisor et senior, deinde haec statuta ex depositis per juramentum. Census mc centum ex Bochnia proveniens provisor apud se non servet, sed in cista, ad quam claves habebunt, qui ab universitate deputabuntur. 2° Senior vir bonus et exemplaris eligatur, qui omni die legibili actus in bursa honeste tenebitur disputare more solito et antiquitus observato, cum omni diligentia et maturitate. Et quod quilibet per se respondens aut arguens, dum et quando ipsum ordo tetigerit, respondere et arguere tenebitur, quovis colore cessante. 3° Quia multa emerserant et praesumpta ex eo quod provisor non veniebat per se in collegium Jerusalem, ideo semel in commutatione eo descendere, et omnibus habitantibus convocatis, eosdem gravi sermone cohortari, ut honestatem domus ament et conservent, hortabitur, studia continuent juxta voluntatem et intentionem fundatorum, discolos et vagos expellat, ne bonis et studiosis adolescentibus scandalo et impedimento existant, et eos ab eorum studiis distrahant et eorum pietate perversa inficiant et corrumpant. 4° Senior pro tempore existens matricam habeat, sicut antea habebatur, ad quam intrantes ad bursam conscribat, nomine cujusque proprio adnotato cum solutione introitalium senius sexagenae. Et propter fidele testimonium senior ad minus duos consiliarios domus ad hujusmodi inscriptionem et solutionem introitalium advocet, qui intersint praedictis. 5° Item quod pecunia hujusmodi introitalium servetur in una cistula sub tribus clavibus, quarum unam provisor, et aliam senior et tertiam consiliarius domus habebunt, quae quidem in libraria domus servabitur, aut ubi melius videbitur expedire. 6° Placuit, quod omni commutatione libri revidërentur per provisorem juxta inventarium antiquum et originale, senior autem paratus sit ad avisationem provisoris omnes libros recolligere et de iisdem rationem facere. 7° Item quoties seniorem de novo poni contingat, senior antiquus in praesentia rectoris et provisoris et aliorum de voluntate rectoris ad hoc vocatorum plenam rationem faciat de libris omnibus, ne per negligentiam ac dissimulationem in talibus, ut compertum est, librorum pretiosus thesaurus a zelatoribus rectoribus (Rect.) et benefactoribus universitatis donatus et

1495. et legatus dispereat et distrahatur. Correcta duo ex istis per universitatem: 1° Jus conferendi senioratum non penes solum rectorem et provisorem, sed penes universitatem esse debere. 2° Ne perpetuitatem aliquam habeat non ad instar senioris bursae pauperum, qui collegiatus existit, esse debere; sed amovibilem.

1495. Commutatione hyberna in rectoratu Valentini de Ilkusz J. U. d. C. C. pro festo S. Catharinae examen baccalaureandorum, jam vero post festum S. Luciae magistrandorum aperitur, propter metum pestis saevientis. Licentia datur M. de Pniewy adeundi limina Apostolorum salva quod gradum in curia non obtineret, ut lectorem pro se substitueret sub poena privationis ex pluralitate condicentibus aliis.

1496. Commutatione aestiva*, rectore Andrea de Labyszyn S. T. P. literae submissae sunt a cancellario Academiae tales. Fridericus, miseratione divina presbyter cardinalis etc. Venerandi ac Venerabiles grate nobis dilecti. Perlatum est ad audientiam nostram, quod quidam ex vobis salariati, sub titulo religiosae peregrinationis, accepta a vobis licentia, et prout assertum est, obtenta, ad partes Italiae se contulerunt, ubi brevi tempore commorantes, ad magisterii fastigia se promovere procuraverunt, et prout universaliter praesumi potest, re, titulo non bene respondente, quod videtur nostro judicio universitati Studii Cracoviensis non bene accommodatum, et dare occasionem futurarum discordiarum inter personas studio et labore promotioni intendentes, aliquid etiam imminuere reputationis apud exteras studiorum universitates ac aliarum partium nationes. Unde hortamur vos, ut memores juramenti universitati praestiti; de promovendo universitatis bonum rebus eisdem sic intendatis, ne praesens et futurum universitati detrimentum fiat, sed mutua nobiscum intelligentia in considerationem adhibita, salubriter providicatis, ut plus ponderis habeat universitatis in communi status, quam favor privatae personae, prout de vobis confidimus, aliter non facturi. Datum in Skierniewice feria quinta ante festum Pentecostes.

* Tribus commutationibus continuavit.

[margin: Skierniewice]

- Idem nihilominus cardinalis, audita paucitate doctorum, propter

propter quam oportet labores in universitate intermitti, permiserat, ut 1496
juxta consuetudines ad vadendum admitteretur promotus Romae de ?
Pnierzy, sine praejudicio alicujus, per Joannem Sacranum, ad cujus re-
lationem fidem creditivam literis paravit idem Illustrissimus.

Rectoratu Joannis de Visoka J. U. D. commutatione hyberna 1497.
die XVIII Octobris M. Blasius de Wytembergk M. D. ad responsionem
admissus. Respondit in collegio D. J. C. supranominato rectore

Die VI februarii in rectoratu ejusdem M. de Wysoka Wysocki J.
U. D. praepositi Koprzywnicensis et Canonici SS. OO. Cracov. M. Joan-
ni de Regulis etiam R. M. et cardinali intercedente denegatum sala-
rium ob absentiam, sed praesenti, qui legebat, datum literaeque ad Se- ?
renissimum et Illmum Cardinalem occasione suae absentiae ad revo-
candum illum debent mitti.

Georgio Morstin, civi cracoviensi, pro injuria illata in clausio-
ne fenestrarum contubernii Jerusalem dicta in jure spirituali
data ex consensu Regiae Majestatis.

M. Andreas de Labyschyn S. T. D. C. C. dominica Smae et Indi-
viduae Trinitatis Junii 1498 mortuus feliciter sub rectoratu
M. Joannis Turzo, scholastici gnesnensis, cracov. et vratislavien.
canonici.

Electus in rectorem commutatione aestiva M. Joannes Turzo 1498.
D. D. Scholasticus gnesnensis, C. Cr. ad eundem reelectus sequenti
commutatione hyberna, ut ipse erat nobilissimus, ita frequen-
tissimam habuit juventutem. Ejus rectoratu moritur M. Joannes
Ecls praeceptor et informator primus filiorum regis Casimiri M.
parochus S. Stephani, qui coemptis pluribus areis, amplissimum cae-
miterium ad sepulturam quorumcunque ibidem sepeliri volentium,
ibidemque ecclesiam SS. Petri et Pauli et in ea sacellanum, qui
missas absolveret et sacramentum poenitentiae Polonis ac Ger-
manis utroque idiomate administraret, fundavit, jus patronatus
collegio majori adtribuens.

Successit in magistratu per vota et sententias universita- 1499.
tis pro commutatione aestivali Joannes de Starzechowice,
D. D. scholasticus vislicensis, canonicus et officialis cracovien-
sis.

In rectoratu M. Valentini de Ilkusz J. U. D. C. C. et Vicecancell. de
seniore bursae canonistarum antea facta conclusio et statutum renovatum
sub poena excommunicationis alias poena privationis et destitutionis bursae.

Annalium Almae Academiae Cracoviensis Centuria Tertia.

1500. Commutatione hyberna electus in rectorem est M. Valentinus de Ilkusz S.D. incidit que ejus rectoratus ad principia hujus anni. Hic memor juramenti de attendendo ad labores professorum praestiti, VII februarii Universitatem convocavit, serioque officii sui quemvis salariatum monitum voluit, ne quid boni nomini academico obesset. Per absentiam vero superiorum M. Stanislaum de Górka ad doctoratum promoveri voluit; sed obstitit unanimis vox, quod non deberet promoveri nisi in ordine et loco suis.

Commutatione aestivali delatus est rectoratus ad M. et egregium virum Joannem de Regulis, Art. et med. Doct. regis Poloniae physicum, protoconsulem civitatis Cracoviensis. Sex folia matriculae nominibus intitulatorum, quod rarum est, implevit.

Circa hoc tempus Joannes Lubrański S.D. et olim in academia craco. professor virtute et doctrina supra nobilitatem ad episcopatum posnaniensem evectus, in majori Polonia collegium academicum, duorum professorum stipendio ex censu annuo satis tolerabili, ut illa ferebant tempora 80 fl. assignato circa suam cathedralem posnaniensem ecclesiam fundavit, aedificia scholarum et professorum construxit. Ex qua veluti fortissimo propugnaculo haereses in Poloniam mox irrumpentes expugnabantur, fidei catholicae veritas propugnabatur, bonae literae incrementa sua accipiebant. De hujus profectu, ruinis, restauratione, impugnatione a Jesuitis, vide in Libro controversiarum academiae Cracoviensis.

Fundatio Carnoviana Konarsciana circa haec tempora forte incidit vel paulo post.

Commutatione hyberna translata sunt academiae sceptra ad V. et M. Dominum Albertum de Pniewy S.T.P. cujus frater natu major Petrus de Pniewy fuit cognitor conditionum pacis perpetuae factae in terris Prussiae inter Casimirum III, regem Poloniae et Ludovicum, magistrum generalem Cruciferorum.

1501. Commutatione aestiva rectoratum adiit M. Nicolaus de Pilca S.T.P.

Commutatione hyberna in rectorem electo Matthia Miechoviensi cum 1501.
negotia Universitatis absque notario, alia in oblivionem, alia interitum,
caetera errorem et negligentiam haberent XXIX decembris ex plurali-
tate ordinatum est, ut notarius fieret manualis, cui stipendium
sexagenam in quartuale providit, ne si eidem beneficium eccle-
siasticum conferretur, remissior in suo officio fieret. Quod si ali-
quae literae singulares illi essent expediendae ad conservatores
per 6 gr pro singulis literis eidem adjicerentur.

Facessiverat negotium contubernio pauperum, quidam Severinus
Tzeyfreds, proventumque seniori obvenientem ex beneficio percipien-
dum impediebat. Romam causa evocata etiam fuerat

109.
60

Wielm

Ma

Professorow, i B

WW Panu do

7

p Breslau fr.

64 ~~117~~

Wielmożnemu Panu

Muczkowskiemu

Professorowi, i Bibliotekarowi Uniwersytetu

WWPanu Dobrodziejowi

w Krakowie

7

P. Breslau fr.

POSEN 1 3